1880. V. 19.

V
B 3
C
5642
CIMELIA

Geogr. 1157.

Sr Thl

M classis tt. xx2 Tomus 1

THEATRVM VRBIVM ITALICARVM

Collectore Petro Bertellio Patau.

Ad Ill^mum et R^cu^mum D.D.

HIERONYMVM Comitem a Rozrazew

Episcopum Vladislauiensem et Pomeraniæ

Regni Poloniæ Senatorem

BIBLIOTH: UNIV:



M. Barlop

VENETIIS. 1599.

Antoni Vicozer

Cim. Qu. 5642

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D. Hieronymo Comitia Rozrazeuu Episcopo Vladislauiensi & Pomeraniæ Regni Poloniæ Senatori Fœl. & S. D.

Mikołaj Kàpecostawiu Pecostàwski Kàstelan Polanècki

SI quisquam mortalium ex veterum more, quem ali qua rerum varietas ceperit delectatio Amplissime Præsul, ijs etiã donari consueuit, vt milites iam κατὰ τοὺς πόλεμους μέτάλι. *Ingenuis equis & armis donantur. Iure mihi visum est conuenire vt hoc pulcher-*

rimarum totius Italiæ Ciuitatum à me breui hoc compendio collectarum quas visendi semper cupiditate flagrasti simulacrum, tui potissimum nominis auspicijs Illustrissime Antistes in manus hominum exiret: primum quòd vnus omnium apud nos rei literariæ candidissime faueas: ergaq; bonarum artium peritos alter Mœcenas existas. Porrò quod maximum est cum non exiguo tui decore nemo (& si vndiq; virtutibus refulgeat) sit te dignitatis illius quam obtines, obtines autem meritissimo, studiosior, cum profectò sis totus ad gloriam totus ad res maximas gerendas natus, Antistes genitus ad vtilitatem Christianæ Reipublicæ sis nouum ornamentum Sedi Apostolicæ additum, ad propagandam cohonestandam ampliandam Imperij ac familiæ tuæ Maiestatem datus diuinitus. Cùm numini, quàm homini propior esse videaris. Tandem pluribus alijs causis eram adductus, vt hoc opus, quale quale esset, tui nominis vt dixi, immortalitati consecraretur; siquidem huiusmodi dignitas, qua nulla hodie sol aspicit, nec latius patentem, nec magis florentem, quidquid opum, quidquid nobilitatis, quidquid splendoris consequitur, id totum certatim ad tuam gloriam, & decus deprompsit atq; diffundit. Itaq; cum tui splendorem oratione, copiaq; dicendi

(cuius

(cuius ſucco parum ſum irrigatus) ſubſtinere non valeam, veriſſimè enim cecinit . Vates Lyricus . Neq; enim cuiusuis penicillo numinum effigies dignè repræſentantur , hoc munuſculum te maxime decens eo accipe animo, vt licèt perexiguum ſit , magnum tamen pietatis, amoris , & obſeruantiæ in te meæ monumentum eſſe exiſtimes, Vale Moecenas ſuauiſſime, meq; quòd & potes & tibi datum eſt. vnus omnium maximè fortiter defende .

Dat. Patauij xij. Kal. Septemb. M.D.IC.

Tua Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominationi

Seruus addictiſſimus

Petrus Bertellius

Index Ciuitatum quæ in hoc Theatro continentur.



ROMA.	faccia prima	Placentia.	c.26
Venetia.	carte 1	Cremona.	c.27
Mediolanum.	c. 3	Bononia.	c.28
Neapolis.	c. 5	Mantua.	c.35
Florentia.	c. 7	Regium lepidi.	c.34
Genoa.	c. 8	Ferraria.	c.35
Panormus.	c. 9	Ticinum.	c.36
Messana.	c.12	Mirandula.	c.37
Catana.	c.14	Luca.	c.38
Drepanum.	c.17	Sena.	c.41
Tridentum.	c.19	Perugia.	c.42
Malta.	c.22	Viterbum.	c.45
Calaris.	c.23	Ariminum.	c.46
Taurinum.	c.24	Sulmo.	c.48
Parma.	c.25	Neptunium.	c.50

Fanum

Fanum.	c.51
Vrbinum.	c.52
Vtinum.	c.54
Taruiſium.	c.55
Palmæ.	c.56
Seraualium.	c.58
Patauia.	c.60
Vicentia.	c.62
Verona.	c.64
Brixia.	c.67
Bergomi.	c.68
Crema.	c.69
La Roca contrada.	c.70
Oruietum.	c.71
Aqua Pendens.	c.72
Ancona.	c.73
Lauretum.	c.75
Nuceria.	c.76
Mola.	c.78
Velitrę.	c.80
Calatia.	c.81
Puteoli, & Baiæ.	c.84
Terracina.	c.87
Tybur.	c.89
Gallipolis.	c.91
Fundi.	c.93
Tarentum.	c.95
Roma Antiqua.	c.97



Porta

K Appia
ff Latina
K Tyburt:
P. Pia.
olim Pu:
manica.

S. Salaria.
C Collatina.
A. S. Pancratij
olim Aurelia

Montes

A Palatinus
B. Auentinus
C. Capitolinus
D. Esquilinus
E. Quirinalis
F Celius

Viminalis
inter Quirinalem
& Esquilinum.

Sex alii montes minus præcipui. Vaticanus mons. S. Petri basilica. Mons Pincius. Trinita del monti. Mons Janiculus. S. Petro in montorio. Mons citorius. Mons Hortorum ubi Palatia Vrsinorum

propè columnam
Antonini. S. Paul.

ROMA.



OMA Domina & Regina urbium, totiusq; mundi caput, quem ferè uniuersum fortissimorum virorum rebus præstantissimè gestis, suo imperio subegerat. De primis eius conditoribus tàm multæ & uariæ sententiæ, quàm diuersi scriptores inueniuntur. Sunt, qui existimant Euandrum ex Arcadia fugientem ea occupasse loca, ubi nunc Roma conspicitur, ibidemq; oppidulum inuenisse aliquod, Valentiniana dictum, quod ab ipso amplificatum, Romæ nomen deinde sit consecutum. Alij tradunt, Remum & Romulum Aeneæ filios urbis huius conditores fuisse, quos tamen alij Aeneæ nepotes ex filia dicunt. Verùm Dionysius Halicarnasseus ante Troianorum & Aeneæ in Italiam aduentum Romam extitisse, ex antiquo scriptore Antiocho Syracusano docens, hæc eius verba recenset. Posteà quàm Italus consenuisset, Morges pro illo regnauit, ad quem vir quidam nomine Syculus Roma profugus venit. Hac oratione satis indicauit, Romam aliam excidio Troiano superiorem extitisse. Communior ferè omnium sententia est, Romam à Romulo dici. Quippe cùm is Romam viribus & robore iuuenum affatim à se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem consilij ope fulcisset, ex venerandæ senectutis ciuibus, qui tunc aderant, centum elegerit, quos ob honorem, Patres, ob ætatem Senatores appellauit, portas designauerit, tribus diuiserit, præsidiarios conuocauerit, tribunos celerum crearit, & nouam denique Reipub. formam instituerit. Ita ut Romulus inclytæ huius urbis augustissimum fœlicissimumq; principium collocasse uideatur. Quæ temporum deinde successu, tot Senatores eximios, tot clarissimos, fortissimosq; Duces, tot egregios Imperatores uniuersi propemodum orbis domitores tulit, ut iure, Mundi caput, & à Cicerone oratione pro Sylla, Arx Regum, & nationum exterarum, lumen gentium, & Imperij domicilium sit appellata. Eius ambitum Plinius ex traditione Augusti scribit milia passus uiginti. Flauius Vobiscus Aurelium

Imperatorem ambitum Vrbis ad triginta milia passuum auxisse refert. Tota deinde eius area, ad tantam amplitudinem deuenit, ut in circuitu collegisse dicatur viginti milia passuum, quæ quinque ferè miliaria Germanica efficiunt. Regionibus XIIII. *quondam diuidebatur. Portas suburbiorum & Vrbis in uniuersum numero* XXIIII. *fuisse, refert Plinius. Liuius autem ponit* XXXVII. *Turres Imperio florente circum Vrbem erant* DCCXXXIIII. *In quibus cùm ita res ferret, præsidia collocabantur. Nunc turres solummodo* CCCLXV, *Portæ* XX. *supersunt. Nec quæ nunc extant turres, itemque muri, veterum operum fundamentis insistunt, neque materia eadem constant. Sed quia frequentissimis Barbarorum incursionibus Vrbs planè uastata atque subuersa fuit, omnia mutata sunt, ac conuersa, reparatorum pro tempore arbitrio. Septem Roma continet montes, rupes, siue colles, de quorum diuersa appellatione uarias scriptorum referre sententias, nimis tædiosum ac longum foret. Magnificentissimæ etiam tam Deorum, nunc Christi & Sanctorum, summorumq; hominum ædes, quæ his montibus continentur, absque tædiosa uerbositate recenseri nequeunt, quemadmodum nec reliqua Vrbis templa, præstantissimæ Sanctorum reliquiæ, pontes, arcus triumphales, thermæ, theatra, antiquitatis monumenta. De quibus peculiares variorum conscripti libelli extant. Fertur de Constantio Imperatore, quòd is Campum Martium, cum admiratione inspiciens, sepulchrum Augusti Cæsaris, tot æreis, atque marmoreis simulachris ornatum, forum Romanum, Iouis Tarpei delubra, thermas, porticus in prouinciæ modum auctas, amphitheatrum, Pantheon mira altitudine spaciosis molibus formatum, Templum pacis, Pompei theatrum, circum maximum, tot arcus triumphales, tot aquæductus, tot statuas per Vrbem ad ornatum positas obstupuisse, ac tandem dixisse: Naturam omnes uires in unam Vrbem effudisse. Etenim insignes superbissimorum ædificiorum ruinæ, priscam urbis magnificentiam, non obscurè demonstrant. Tyberis Fluuius, à Septentrione urbem ingreditur, & ex latere meridionali,*

nali, Hostiam uersus effluit. Sed quid plura de tanta, tamq; magnifica urbe commemorem? In qua legitimus & ordinarius D. Petri successor, Maximus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex residet, uenerandæ S. Apostolorum, & Martyrum cernuntur reliquiæ, ubi ius Christiano orbi præscribitur. In qua denique suauissimæ Musæ, uniuersam Græciam deserentes, sedem ac domicilium inuenerunt. Vt uerissimè Cicero lib. 3. de natura Deorum tradat: Quemadmodum nihil in uniuersa rerum natura mundo, sic in terris nihil Roma melius, nihil præstantius inueniri. Amplissima etiam uniuersitate inter quàm plurima ornamenta urbs Romana nitet, de qua D. Iacobus Middendorpius, in suo de uniuersitatibus libro, copiosè disserit.

VENETIA

Torcelo Vescouado e Podestaria.

S. Giac. mo De Paludo frattii.

Buran.

Muran Podestà.

S. Secondo frati.

S. Nicolo dello frati.

Mazorbo

S. Francesco del deserto.

S. Michiele fra.

Lazaretto Nouo.

S. Christoforo fra.

S. Giorgio dalega frattii

Ganale Della Giudeca.

S. Andrea de lio fra. Certosini

S. Anzolo de Concordia

S. Georgio Magiore Frati et Badia

La Giudeca

S. Clemente frati

S. Lazaro

S. Helena frati.

Chioza Vescouado e Podestaria

S. Spirito frati

Malamocho Podestaria

Pouegia.

Lazareto Vechio Hospedal della Sanita.

S. Seruolo Monache

VENETIAE.



E *primis Venetiarum initijs, diuersa historiographi tradunt. Sabellico Leander subscribit, prima huius inclytæ vrbis initia, in annum à* CHRISTO *Nato* CCCCXXI. *incidere, quo tempore fama iam erat sparsa, transgressuros Danubium Hunnos, Italiæ inuadendæ causa. Itaque Aquileienses, & Patauini, ferocissimi hostes terrore, & ob vrbium suarum interitum, Adriatici maris insulas fuga occuparunt, & initium in Riuum altum se recipientes, prima Venetiarum vrbis fundamenta iecere. Sitæ sunt in intimo sinus Adriatici recessu. Insulas ferè* LX, *(adiectis tamen alijs duodenis) paruo inter se spacio disiunctas, intercurrentibus euripis, continent. Quas à vehementiori maris impetu, agger tenuis, litus uocant, artificio prouidæ naturæ, prætentus tuetur: Is curuus instar arcus, & ostijs quinis interruptus, quæ singula modicum portum efficiunt, nauigijs, & aquis marinis aditum in æstuaria præbet. Opportuna habet flumina, quibus res omnes, cùm ad hominum vsum, necessitatemq; tum ad delitias ac voluptates vtiles, inuehuntur. Vt (quod dictu mirabile) in qua vrbe nihil fermè gignitur, in ea omnium maxima & incredibilis exuberet copia. Quare non immeritò à Iasone, l. si insulam, ff. de verbor. obligatio. paradisus delitiarum appellatur. Quid de piscium abundantia, de ædificiorum splendore, de sacratissimorum ædium ornamentis, de venerandorum Patrum prudentia, referam? non immeritò ingenuè fatentur omnes, tam potentem, tam nobilem, tam illustrem, tam opulentam Rempubli. Deorum immortalium nutu fundatam, eorumq; prouidentia in hodiernum vsque diem moderatam esse. Quæ quidem ad tantum maritimæ fortunæ culmen euecta fuit, vt Domina, ac Regina Maris, ab omnibus semper habita, & ab Illustrissimo Ioanne Austriaco Cæsaris Caroli V. summi omnium Imperatoris filio, ac Philippi Ca-*

pi Catholici, ac Maximi Regis fratre, sit salutata eo tempore, quo anno superiore M. D. LXXII. die septimo Octobris, Augustini Barbarij Patritij Veneti prudentißimis instructus consilijs, innumerabilem Turcarum exercitum fudit, vniuersam ferè classem cepit, ac tandem de immanissimo ac fœdifrago hoste, in Epiro, ad Echinadas triumphauit. Innumera hic mortalium, varijs ex orbis partibus, corporum vario cultu, multitudo negociatur. Ciuitas tota triplici ordine populi constat, Patritij sunt, Ciues, & plebs artificum. Imperij ac Reipubl. auctoritas apud Patritios consistit, qui cùm ipsam vrbem, tum Ciuitates oppidaq; ditionis Venetæ moderantur. Vrbs in regiones est diuisa senas, proinde Sextaria uocant. Plebanicas congregationes habet LXXII. Cœnobia XLI. quorum decem & septem Conuentus monachorum sunt, quatuor & uiginti virginum. Fora coniuncta tria. In capite, quod littus spectat, columnæ peringentes binæ cernuntur, quarum una Diui Marci, leoninum alatum signum: altera Diui Theodori statuam sustinet. In ipso intercolumnio, supplicia de condemnatis sumuntur. Exornatur forum sumptuosißimo ac mirabili templo Diui Marci, è nobilißimo precioßimoq; marmore, non minore artificio quàm sumptu constructum, cuius magnificentia, maximi & stupendi precij thesaurus, hoc loci propter angustiam explicari non potest. Integro Diui Marci corpore exornatur. Vicos riui diuidunt, ac transitus vbique pontibus coniungitur, uel ligneis, uel lapideis, quorum in uniuersum, tam publici, quàm priuati, CCCC. censentur. Nauicularum numerus quibus ciuitas peragratur, VIII. millium amplius esse putatur. Est etiam intra vrbis ambitum nauale, locus mœnibus vndique ualidis munitus, & cùm opportunis ad custodiam turribus, quem Arsenale nominant. In quo perpetuò CCCC. occupantur homines, triremibus, ijsq; rebus, quæ ad nauigationem requiruntur, conficiendis intenti, quorum stipendia M. CC. in hebdomadam aureorum nummùm sunt. In ipso nauali, nauium longarum, quæ in pontibus,

ad

ad omnem occasionem paratæ perpetuò sunt, numerus, ad CC. est, præter alia nauigia minora, unde vires, opesque, & amplitudo rei Venetæ, quæ profectò nunc Italici nominis gloria, decusque sola est, facilè possunt intelligi. Præponentem hanc vrbem, eiusque ditiones ac regna, Centuriones, atque Tribuni, ad annum Christi Septingentesimum gubernarunt, deinde Ducis auctoritate administrari cœpit. Qui tam subtili sortitione eligitur, nullus vt ambitiosus, vanæque gloriæ cupidus, in tantam se dignitatem intrudere queat.

MEDIO-

LA GRAN. CITA DI MILANO

P. Vercellina

P. Comasina

T. Noua

P. orientale

P. Ticinese

P. Ionsa

P. Lodouica

P. Romana

MEDIOLANVM.



EDIOLANVM, potentißima ciuitas, vniuerſæ Galliæ Ciſalpinæ Metropolis, à quo condita, & unde ſit eius appellatio ducta, uariè ab Hiſtoriographis proditum eſt. Originem eius Gallis Liuius tribuit: nonnulli, & quidem verius, ante Gallorum in Italiam aduentum, Bellouesum ex vico eximiæ dignitatis, finitimam Alpibus ciuitatem, Mediolanum ædificaſſe, eumque Regis ſibi nomen ſumpſiſſe, tradunt. Quidam Mediolanum dictum putauere, quod inter duos amnes, ipſi Lames uocant, vrbs poſita ſit, Arduam ſcilicet, & Ticinum. Alij, ab animali media parte lanato, in ipſis fundamentis inuento. Cato, prius Olanam, ait dictam, à Thuſcorum Duce: dein ab Inſubrium Principe, Medo, adauctam nomen accepiſſe Mediolani. Aliter Alciatus in Emblematis, aliter alij ſcribunt. Vrbs eſt Mediolanum opportuno admodum ſitu, quo præter agri ipſius vberrimas fruges, è Gallia Ciſalpina, neceſſaria quæuis comportari poſſunt. Hinc quàm plurimos Imperatores, contra Gallos, atque Germanos bellandi opportunitate ductos, hic conſediſſe legimus. Sæpius etenim Mediolani Cæſar conſtitit, frequenter Nerua. Nam ualde Traiano placuit locus, vt Regiam hic ædificarit, quod nunc Palatium dicitur, Habitauit hic etiam Adrianus. Item Maximianus Herculeus, qui mœnibus hanc vrbem ſplendidiſſimè ornauit, murum ſecundum adiecit, eamque amplificauit, & ædem Herculi in ea poſuit, quæ nunc Diuo Laurentio Martyri eſt dicata. Iuxta quam columnis ſexdecim marmoreis domum ſumptuoſiſſimam, ac auguſtiſſimam Imperatorum uſui ædificauit, quam incendio periiſſe ſcribit Meruea, ut ſolæ columnæ ſint relictæ. Philippus etiam Imperator Chriſtianus, hac in urbe reſedit, & poſt eum Conſtantius, Conſtantinusque. Item Iouinianus, Valens. Valentinianus, & Theodoſius. Mediolanum ampliſſimum com-

plectitur ſpatium, adeò quidem, vt maximis totius Europæ ciuitatibus annumeretur. Eius ſuburbia, latæ aquarum foſſæ cingunt, per quas vndique nauigijs, maxima annonæ copia defertur. Tam multa ſunt hic, tamq; diuerſa artificum genera, vt inde vulgi ſit nati prouerbium: Qui Italiam reſicere totam velit, eum deſtruere Mediolanum debere, nimirum, quòd ex his ſedibus, artificum examina, per omnes Italiæ partes, ſpargantur. Quinetiam liberales diſciplinæ hic cultæ fuerunt. Virgilius ſiquidem, Mediolani literis operam dedit. Summam huius Reipubli. potentiam arguit, quod poſt frequentiſſimas hoſtium direptiones, quibus vniuerſa diruta, ſoloq; æquata fuit, in tam vaſtam magnitudinem rurſus excreuerit. Varia, & funeſta eius excidia. Gibellinorum etiam, & Guelphorum exitiabiles uniuerſæ Italiæ factiones, Mediolani Anno Domini MCCCX. natas, Munſterus in Coſmographia ſua, recenſet. Habet urbs ædificia mirè ſplendida, atque magnifica, præcipuè uerò, ædem perauguſtam, quam Domum uocant, immenſo ſumptu, ac tam admirabili arte factam, ut paucis omninò orbis terrarum templis conferri poſſit, ſiue magnitudinem & artificium, ſiue precia marmorum ac ornamentorum ſpectes. Etenim, non ſolùm undique foris intuſque cruſtis niuei marmoris intecta nitet, uerùm etiam mirabilibus ex marmore ſtatuis, arte ſumma elaboratis, eſt exornata: Sunt & nobilia fana permulta, inter quæ Gratiarum ædes. Cœnobium huic ſano inſigne cohæret Prædicatorum, cum præclara Bibliotheca, celeberrimis Italiæ totius addenda: Priuatorum etiam in urbe domus, ampliſſimæ permultæ conſpiciuntur. Eſt & arx Portæ Iouiæ munitiſſima, inexpugnabiles ac præcipuum totius Europæ propugnaculum, quod ulla profectò ui capi nunquam potuit, quanquam per annonæ, rerumque neceſſariarum inopiam, id aliquando contigerit, ut in Ephemeridibus Latinis, Leander demonſtrat. Inſuper, eſt curia uetus, ubi modicum D. Gothardi fanum nobilibus aliquot Vicecomitum ſepulchris decoratum. Italiæ Reges, tum etiam Imperatores Auguſti, Imperij ſolemnia, coronam ferream, ab huius urbis præſulibus ſumere ſolent, idque ex

conſti-

conſtitutione Theodorici Oſtrogothorum Regis. Alexander Quintus eius nominis Pontifex ſummus, Barnabam D. Pauli condiſcipulum, primum fuiſſe Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtitem ſcribit. Cui interpoſitis alijs pijs, doctiſque uiris, D. Ambroſius ſucceſſerit, clariſſimum Eccleſiæ lumen, qui D. Auguſtinum celeberrimum illum Doctorem Theologum Mediolani ad fidem Chriſti conuertit, & deinde anno poſt Natiuitatem Chriſti trecenteſimo nonageſimo tertio, ex eadem hac ciuitate, ad æternam beatorum patriam emigrauit.


NAPOLI

NEAPOLIS.

NEAPOLIS, in Italia, Campaniæ ciuitas, à Cumanis condita, & Parthenope quondam dicta fuit. Quæ, cùm ob singularem loci amœnitatem, plurimùm frequentaretur, Cumani ueriti, ne Cumæ omnino desererentur, Parthenopen, habito concilio, subuerterunt, quo facto, mox immani pestilentia uexati, oraculoque moniti, ut urbem restituerent, instauratam protinus, tanquam urbem nouam, dixere Neapolim. Spatium complectitur magnum, inter Mare, amœnissimosq; colles ædificata, mœnibus firmissimis iussu Caroli V. Imperatoris munita, placidissimum aerem, iucundissimum agrum, delicatissimos fructus, saluberrimas aquas, Baijs & Puteolis erumpentes, habet. Extra ciuitatem autem, omne frumenti genus, summamq; uini abundantiam, agri ex se fundunt & gignunt. Plinius huius loci ubertatem pro miraculo celebrauit. Tanta hoc loci est collium feracitas, uenationis, aucupijque commoditas, hortorum elegantia, dulcissimorum riuulorum præstantia, sepimentorum, reticulatorumque parietum, omni florum, fructuumque genere uestitorum pulchritudo, ut huius paginæ angustia, ea omnia recensere prohibeat. Et hæ quidem commoditates, Romanos olim in hanc urbem pellexére, qui studiorum & ætate confecta quietis, otijq; causa, delitiarum etiam uoluptatisq; gratia, Neapolim petiére. Itaque hic uitam degisset reperimus P. Virgilium Poetarum omnium principem, quem Seruius Georgica hic conscripsisse asserit. T. Liuium Patauinum, Horatium, Claudianum, Franciscum Petrarcham, Antonium Beccadellum cognomento Panormitanum, oratorem eximium, Laurentium Vallam Romanum, linguæ Latinæ reparatorem, Porcellium Romanum Poetam elegantissimum, Blondum Foroliuiensem, totius antiquitatis studiosum indagatorem, &

alios

alios quoque eximios Theologos. Quinetiam Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Equitum, Baronum, ac Nobilium hominum, adeo plena hæc Ciuitas est, vt nobilitatis nomen quasi iure sibi vendicet. Quorum frequentia factum, vt quam plurimis Regum, ac Principum palatijs, fortißimisq; ædificijs, splendidißimis templis & sepulturis, hæc præ cæteris Italiæ ciuitatibus, sit exornata. Inter hæc præcipua sunt, Templum D. Claræ, cum virginio, mirabile opus, ab Agnete Regina Hispana Roberti Regis coniuge factum. Sepulchra in eo multa conspiciuntur eximia. Regum reginarumque, & Regiorum liberorum, ex illustri Dyrrachiana domo, Caroliq;, qui D. Ludouici Regis Franciæ frater fuit, progenie. Deinde insigne D. Dominici fanum, in quo multorum Regum, ac Principum, & Illustrium virorum monumenta videntur. In delubro fratrum montis Oliueti, Ferrandi primi, & alterius Alphonsi Regum effigies conspiciuntur, opere singulari, vt uiuere uideantur, perfectæ. Sepultus ibidem est Alexander ab Alexandris, Iurisconsultus, qui multiplicis eruditionis volumen, Genialium dierum, conscripsit. Multa etiam alia non minus celebria sunt Templa, in quibus perelegantia Principum & magnorum virorum ex candido marmore, continentur sepulchra. Sanctorum etiam hominum reliquiæ, quæ in diuersis passim templis asseruantur, hanc ciuitatem commendant. Gymnasium etiam omnium disciplinarum habet, à Friderico secundo Imperatore fundatum. Aedes præ cæteris amplißimæ, sunt Ducis Grauiensis, quanquam nondum perfectæ, alioqui nullis totius Italiæ cessuræ, item Salernitati Principis. Viæ ciuitatis perelegantes, directæq;. Curiæ quaternæ, quas Sedes appellant, Capuana, Nidensis, Montana, Diuique Gregorij, quo Principes, Duces, Marchiones, omnesque cæteri ordines ad consultandum communiter, ac de rebus publicis conueniunt. Arces fortißimæ sunt hæ, Castellum nouum, firmißimis Europæ totius propugnaculis meritò annumerandum, Capuanum, Castellum oui, modico extra vrbem spatio, in scopulo cinctum mari, Santeremense in rupe mœnibus vrbis imminente, superioribus annis à Carolo Quinto Imperatore

tore mirificè communitum. Extra muros Australi parte, Moles in mari conspicitur, ad portus tutelam, nauibus ex omnibus orbis partibus perpetuò pleni. Post Ferrandi Regis Neapolitani obitum, Siciliæ, Neapolis, Arragoniæ, cæteraque Hispaniæ regna, ad Carolum Philippi filium, Imperatoris Maximiliani Augusti nepotem, deuoluta sunt, per Isabellam, matrem Ferrandi, quæ Isabella Hispaniæ Regina filia fuit:

Anno post Christi Natiuitatem milleſimo quingenteſimo decimoſexto.

FLOREN-

FIORENZA

P. S. Gallo
P. a pinti
P. alla Croce
P. R. ubaconte
P. S. Miniano
P. S. Lorr.
P. de Rucasoli
P. al prato
P. de pia
P. S Giorgio
P. S. Friano
P. S. Pier. battolini

FLORENTIA.



LORENTIA Hetruriæ Metropolis, urbs omnium florentissima, iacet ad Arnum, quo medio secatur, & quatuor eximijs conuungitur pontibus, ab Oriente, ac Septentrione collibus amœnissimis, & undique fructiferis arboribus uestitis cincta, medij theatri instar, Occidentali latere pulchram in planitiem incedens, Appennini aliquot brachijs contra uim externam, & incursiones est munita, uideturq; ferè umbellicum Italiæ tenere. Nobili gente frequens perpetuò fuit, & si cui familias honestas, hinc tanquam è seminario in alias urbes Italiæ profectas cognoscere libebit, commentationes in Dantem Christophori Landini adeat, is enim operis eius initio multis hac de re tractauit. Florentiam duplices habuisse muros, eosdemq; à Phesulanis & Barbaris esse deiectos, ac ciues deserta urbe in uicina oppida concessisse, author est idem Landinus. Desolatam ita urbem ad annum post Christum natum 802. iacuisse, quo Carolus Magnus Roma, ubi tum Imperator Cæsar Augustus appellatus erat, in Galliam tendens, hic dies aliquot constitit, captuq; loci conditione, mœnium nouorum fundamenta, longè prioribus ampliora iussit inchoari, proposito etiam edicto, ut passim dispersi ciues, ad instaurandam urbem redirent. Hoc itaq; tempore nouis muris cincta fuit. Adeò magnificis ædificijs, sumptuosissima structura ornatis, tam diuino cultui, quàm ciuium usui summa cum uoluptate spectantium ornatis Florentia nitet, ut quemadmodum Venetiæ diues, Mediolanum magnum, Genoa superba, Bononia fertilis, Rauenna antiqua, Neapolis nobilis, ac Roma sancta; Ita Florentia tanquam flos ac pulchritudo Italiæ, Florentia bella sit nominata. Nobilissima urbis fana, in primis admirabile illud D. Mariæ Floridæ, totum ex marmore crustatum, cum hemisphærio stupendi operis, iuxta turris stat eximia tintinabulorum, tota item marmorea, modicoq; post interuallo ueterrimum Martis tẽplum, forma rotunda, magno ingenio constructum, & nunc D. Io. Bap. sacrum. Valuas habet ex ære, fusili opere, tã raro artificio factas, ea præsertim quæ con-

tra ſanum D. Mariæ Floridæ ſunt, ut omnes omninò, quibus ingenij uis eſt ulla, reliquas in Europa tota ſimiles eſſe nuſquam arbitrentur. Reliquas miſericordiæ ædes, uti Xenodochia, Expoſitorum brephotrophium, cæteraq; loca pietatis ergò conſtituta prætereo, qualia tricena ſeptena eße dicuntur. Aedes cenſentur Plebanicæ quadraginta-quattuor. Prioratus duodecim. Conuentus uirorum mulierumque ſacri ſeptuagintaſex. Collegia puerorum nouem; quas fraternitates uocant, uirorum ſodalitates maximo numero.

GENOVA

il Castellazzo
la bastia
d Parado
le forche
P. de Calu
P. de spinoli
P. del mercantie
P. dele legna
P. de chiaueri
P. di s. Giouanni il molo
il molo
Lanterna
P. Carbonara
P. de lagua sola
P. di s. Andrea
P. di s. Lazaro
P. di s. Luca

GENOA.

GENOA Ligurum in Italia caput, Ligustico adiacet mari, potens, superba, atque antiquissimæ originis ciuitas, vel à Iano Italiæ Rege, ac deinde à Iano Troianorum Rege aucta, vel à Iano Genio Prisco, vel à Genuino Aegyptio, vel à Genuo Saturni filio, primùm ædificata, uel denique à situ, curuaturæ genu respondente, denominata perhibetur. Situ tali est: Fronte Meridiem spectat, amplissimè circa littus consurgens, dorso Septentrioni obuerso, leniter in planitiem, veluti ad quiescendum descendens, montium innixa radicibus, quorum à tergo contra sæuorum Septentrionum afflatum vallo munitur, non tota montosa, nec vicissim tota plana. Insigni portu, fortissima mole, securæ stationis causa præmunito, mercatuq; amplissimo nobilis est. Semper autem & in negotiando industrios, & ad res summas, tam terra, quàm mari gerendas, summos homines genuit. Qui sæpius infideles Christianorum hostes armis suppresserunt, sæpè debellarunt Pisanos, sæpè item à Venetis, aliisq; potentissimis populis, & Regibus spectabiles retulerunt victorias, vt plurimas ciuitates, & insulas ditionis suæ fecerint. Vnde tantis incrementis, tum populi ac ædificiorum, tum opum creuit hæc ciuitas, vt nomen adepta sit Genuæ superbæ. Variam Reipublicæ formam diuersis temporibus habuit, nunc Hispaniarum Regem agnoscit dominum, & à Duce, annali electione designato, gubernatur, ac regitur.

PANOR-

PALERMO

dilo Palazzo
P. di Mazzara
P. noua
P. di Carini
P di S. Agata
P. di Termeni
P. di S. Giorgi
P. dila Pescaria
P. dila Caltina
P. dila Dugana
P. di Pedigrotta
P. di Africa.
P. del Molo

PANORMVS.



PANORMVS, vrbium Siciliæ maxima, ac Princeps est hodie, & sedes Regia, sita in campestri solo, & in ora, quam, lib. 7. teste Herodoto, pulchrum littus, vocabat antiquitas. Vnam eius partem mare Tyrrhenum alluit, cæteræ tres, lato patent campo, qui montibus asperis & excelsis, arborumq; prorsus expertibus omni ex parte cingitur. Agros planos diffusosq; complectitur, qui formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam repræsentant, ea varietate, ut quocunque inciderint oculi, resiliantur, adeò lati, amœni, aprici, atque vberes sunt. Enimuerò, mali medici, citrij, punici, ac cæterorum omnium, cuiusuis generis fructuum feraciſsimi. Quos pluribus, ijsq; placidiſsimis fontibus ibi natis, splendidiſsimæ ac saluberrimæ aquæ, omnibus locis interfluunt irrigantque. Hinc Callias lib. historiarum 8. (referente Atheneo lib. 12.) Panormum, non absurdè, totum hortum, interpretatur, quod domesticis arboribus speciosiſsimis vndequaque consitus sit, & vnicum totius Siciliæ delicium. Quinetiam, totum portum Panormus sonat Pan, siquidem totum, & hormus, portus, vel statio est Latinis, vt Aretius in Siciliæ Chorographia. Eius autem originem in Phœnices, quo tempore Græci Siciliam traijcere cœperunt. Thucydides lib. 6. referre videtur. Petrus autem Ranzanus Lucerensis Episcopus, in suo, quem de Panormo edidit libello, à Chaldæis, Damascenis, & Phœnicibus eam multò ante tempore, quàm definiuit Thucydides, duabus Chaldæis inscriptionibus, quæ Panormi in lapidibus inciſæ, palàm ab omnibus spectantur fundatam ostendit. Varia huius vrbis incrementa fuere. Primùm (vt lib. 14. Diodorus, & lib. 1. Polybius) ante primum bellum Punicum, Carthaginensium imperia subijt. Deinde, postquam Respub. Romana in Monarchiam reducta est, Imperatoribus paruit, donec declinante Imperio, Constantinopolitanis cessit. At verò, anno salutis 515. Iustiniano imperante, à Gothis, ueluti & omnis Si-

nis Sicilia occupata, eorum facta est præsidium ualidissimum. Quibus post annos deinde circiter quatordecim à Bellizario, Iustiniani Cæsaris præfecto, magna ui erepta, imperio restituta est, vt Procopius tradit, Salutis postmodum anno 826. Michaele Balbo imperante, à Sarracenis, qui Aphricam incolunt, cum omni Sicilia capta, eis in regiam ciuitatem adoptata est, qui eam præclaris ædificijs, quorum pleraque intra & extra pomeria integra supersunt, exornarunt Normanni deinde Galliæ populi, & qui post ducentos, & triginta fermè annos, ducibus Roberto, Guiscardo, & Rogerio Comite eius Germano fratre, Sarracenis auspicatissimo Marte superatis, Siciliam subierunt. Tum Panormum Robertus ad ducatus Appuliæ & Principatus Capuæ titulos adiecit, paucisq; post diebus muro cinxit, ac duplici arce muniuit, cuius imperium Rogerius Comes adeptus, plurimùm quoq; decorauit. Quam deinde Rogerius III. qui primus omnium Siciliæ Rex est salutatus, maiorem in modum munitionibus, & opulentia locupletauit. Multi tum temporis successu, Siciliæ Reges, eam & sua præsentia, & structurarum magnificentia honestarunt, vt celeberrimis totius Italiæ vrbibus comparari, multis etiam præferri possit. Hodie quatuor præcipuis partibus constat, quarum vna HARMVNA est, quam Chaldæi & Phœnices condiderunt, &, quam vrbem veterem prisci nominabant. Ea adhuc ambitiosa mœnium structura, quibus latè atque peraltè circumductis cingitur, in cæterarum partium meditullio integra propè cernitur, quorum fiducia Gothi in hunc locum, velut in expugnabilem arcem se recipientes, nunquam ui ab hostibus capti, sed sola deditione subacti sunt. In hac ueteri vrbe ædes complures sunt publicæ & priuatæ, sacræ & profanæ, superbia & pulchritudine, cæteris Italiæ ædificijs nihilo inferiores. Nam ad vrbis uerticem Occidentem uersus, arx est præclara, quam Palatium regale appellant, magnificis ex quadratis lapidibus compacta, & in multis suis partibus pario marmore, ac auro, gemmisq; splendidè ornata, insignes uermiculato opere aulas, aulæis ostro tinctis, contectas pauimenta marmoreis, prophireticisq; testalis constrata exhibens, multorum hucusque Regum & Imperatorum domicilium, in cuius uestibulo ad latus dextrum,

templum

templum est D. Petro sacrum à Rogerio Siciliæ Rege fundatum. Quod sua pulchritudine, & rerum præcioſiſſimarum apparatu, cæteris, quæ in Italia nunc vſquam extant, ſeu veteribus, ſeu nouis, meritò præferri conſtat, quo nomine ab omnibus, qui Panormum aut inhabitant, aut inuiſunt viris, non imperito modo, ſed ingenio etiam doctrinaq; præſtantibus ſumma cum admiratione, ac iucunditate frequentatur. Est & in hac vrbis regione perauguſta Slafanorum domus. Hoſpitale nouum, quod & ſtructuræ magnitudine, & loci pulchritudine, cæteris quibuſuis Xenodochijs nihil inuidet. Maior etiam totius vrbis Eccleſia, reticulata ſtructura, quadrato, ac diuerſis in exteriori facie imaginibus figuriſq; inciſo, ac perpolito lapide, à Gualterio huius nominis II. Panormitano Archiepiſcopo Ann. ſalutis 1185. fundatum, vbi Regum, Reginarumq; Siciliæ, ac Ducum quoque cadauera ſunt recondita: longum inſuper foret, reliqua primæ regionis ornamenta, & præclara ædificia commemorare.

Altera Panormi pars eſt, quàm longo poſt veterem vrbem tempore conditam, Neapolim, ideſt nouam urbem appellatam, Polibij auctoritas demonſtrat. Hæc eſt ea, quæ vrbe ueteri ad meridiem hæret, & à palatio incipiens, in formam deinceps hemicycli producta claudebatur. Regiones in ea Normannorum ætate fuerunt, Hemonia, Albergaria, Deiſin & Thalcia, quæ à Sarracenis ſunt appellationes deductæ. In hiſce regionibus mira cœnobiorum, & Eccleſiarum multitudo.

Tertia Panormi pars ea eſt, quæ veteri vrbi ad Septentrionem interfluente amne, hodie hæret, Seralcadis Normannorum Regum ætate, & hodie appellata Tranſpapyretum ciuitas Rogerio regnante in priuilegijs, & publicis tabulis etiam dicta. Hæc à Palatij confinio, & à fluuiolo Papireto initium habens, mœnibus curuato curſu cincta, veteri vrbi ad turrim Pharath, iungebatur, vt ex murorum fundamentis, in quæ foſſores paſſim incidunt, liquet Forum eius venale à Bandera nomen habet. Eius ædes ſacræ ſunt, templum S. Crucis Parochiale, & alterum D. Hyppoliti. Est & D. Auguſtini cum Eremitarum fratrum cœnobio non ignobile ſanum. Hanc vrbis partem Papiretus amnis, hodie ſtatim inter-

interfluit, qui plures habens triticeas molas ad Panormitanum portum se exonerat.

Quarta & vltima Panormi pars, id totum spacium, quod inter ueterem urbem duasq; vrbis prædictæ partes, & portus littora interiacet, complectitur, ingens sanè & pluribus regionibus, sacrisq; ac prophanis ædibus præclaris ornatissima. Nam cùm olim stagnante fluuio, ac stagno quoque eam perfundente, tota esset paludosa, habitationi erat inepta, processu uerò æui palude resiccata, suburbijs locum dedit. Hæret huic arx uetus, quam castellum ad mare ideo uocant, quod tres eius partes mari impetuntur, & ad tuendum portus ostium à priscis condita, sed à Sarracenis templo Mahumetanæ superstitionis excitato, ornata, & à Roberto, Guiscardo, ac Rogerio fratre, illis superatis, postmodum instaurata, ut in annalibus Siculorum & vita Rogerij legimus, quam extremo Carolus V. Cæsar propugnaculis ingentibus muniuit. Ita Panormus quatuor præcipuis partibus complexa; habet in circuitu passuum mille ferè quatuor: Annonamque salutis MCCCCXCIII. filio extra mœnia ducto, ambitus eius demensus est. Mœnia vetustate collapsa, à diuersis Siciliæ Regibus restaurata, sed & recenti ætate, senatus ipse Panormitanus, miris ac frequentibus propugnaculis, ad recentiorem disciplinæ militaris munitionumque formam, innouatis, munitissimam hanc patriam reddidit.

Illud denique, coronibus loco, adijcere libet, Panormum, singulare id nomen promeruisse, atque seruasse hactenùs, ut in exteris excipiendis, amandis ac fouendis, quorum incolatu maximè coaluit, nulli sit secunda. Vnde euenit, ut eam uirili forma, Panormitani pingere soleant, cuius facies prolixa, atque acuminata barba, caput regio diademate sit redimitum: pectus flexuoso uolumine sugat anguis, ante pedes calathum habeat, auro & floribus plenum, cum hoc simbulo: Panormus uas auri, suos deuorat, alienos nutrit.

Si quis copiosiorem huius urbis descriptionem requirat. Is Cl. Marium Aretium, Petrum Ranzanum Lucerinum Episcopum, Marium Nigrum, Hugonem Falcandum, & præcipue Thomæ Facelli Decades legat.

LA NOBILE CITTA DI MESSINA.



MESSANA.



ESSANA, præclara ac vetusta Siciliæ, doctissimis multorum scriptis illustratæ ciuitas, Thucydidi, Straboni, & alijs, ob incuruatam loci flexionem, quæ falcis repræsentat figuram, prius Zancle vocata fuit. Siculi etenim, vt Polybius, Thucydidesque scripserunt, falcem, atque res curuas, Zanclam vocabant. Diodorus Siculus, Zanclorum Regem, ibidem regnantem, Messanam de suo nomine, Zancle appellasse, narrat. Qua de re Thucydides libro sexto. Existimant & fabulantur alij, ab occulta Saturni falce, uel denique à Zanclo gigante, hanc Zancle denominationem fluxisse. Pari quoque ratione Messanæ primordium, in diuersa historici trahunt. Strabo prima eius initia, Messenijs Achaiæ populis tribuit, vnde ciuitatis incolæ primùm Messanenses dicti. At verò cum Mamertini, natio Campana, eò transmisissent colonos, ipsi quoque Mamertini potius, quàm Messanenses, sunt uocati. Hinc Martialis:

Amphora Nestorea, tibi Mamertina senecta,
Si detur, &c.

Macrobius primam Messanæ fundationem Anaxilæ, siue Anaxilao, Cretenei filio, Rheginorum tyranno, adscribit C L. autem Marius Aretius, in Siciliæ Chorographia, Anaxilas, inquit, vrbem diripuit, nouamque erexit, deque suæ patriæ nomine, Messanam appellauit (Messana vrbs Achaiæ) promiscua lingua: inter Doricam & Ionicam, frequentem reddens. Messana igitur, ciuitas hodie satis prospera, satisq; pollens, ab Italiæ sinibus Charybdis freto, portuq;, non humana industria, sed natura ipsa facto, discernitur. Ad Maris littus, librata planicie, venustè extenditur

uersus Orientem, ab Occasu autem, collibus munitur. Iuxta littus, quod arcus obtinet formam, Charybdis est, fretum nauibus exitiosum, inter Messanam & Rhegium, quo breui spacio Sicilia à continenti separatur. Tritici messem non habet, quia montibus ac pelago clauditur, nemoribus abundat, sed tota prope eius messis, in mororum foliis consistit, probatissima enim à Messaneis lana serica, in multas Europæ partes, mittitur. Quando autem hoc artificium in Siciliam, & primùm in Panormitanam urbem, sit allatum, Munsterus ex Aretio Syracusano refert. Præstantissimis antiquitatis monumentis, illustratur Messana. In ipsa etenim ciuitate, pars antiquissimi aquæductus, ante ædem D. Francisci apparet. Fons etiam perennis, atque saluberrimæ aquæ iuxta portam, quem Leonis puteum ipsi uocant. Ac etiam insignis pila, nec ante patrum nostrorum memoriam facta, quò potum equos agunt, omnibus, quæ in toto ferè orbe, pulchrior. Effigies lapideæ duæ, Scipionis, & Annibalis, antiquitate ferè corrosæ, in maioris templi porta uisuntur. S. Trophoniæ templum, Castoris & Pollucis, uti ferunt, antiquitus fuit. Extra uerò urbem, Veneris ædiculam, quæ prope portam, gentilium mœnium nominatam, in radicibus montium, Sanctæ Venerę, religio dicauit Christiana. Ac etiam fama est, Neptuni id fuisse templum, quod Diui Nicolai, in lingua Phari, ruinis propemodum affectum hodie uocant. Domusq; erat regia, tribus millibus passuum, ab Messana ad meridiem, cuius adhuc extant uestigia: locum regis Castagnitum uocant, ubi fons. Latus urbis, quod uergit ad meridiem, amœnis, ac locupletissimis pagis stipatur. per Valeriam uiam, author est Strabo, Messanæ Li'ybeum pergebatur. Fuit Messaneus quidam ciuis homo nobilis, maximè locuples, minimeq; auarus, cuius domus erat optima Messanæ, quam modò uetustate affectam, contra propemodum Antistitis palatium, est uidere, & in ea sacrarium perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, unum Cupidinis marmoreum, Praxitelis opus: Parte ex altera, Hercules, egregiè factus ex ære, quem Myronis fuisse fama uulgabat. Erant præterea duo signa ænea, non maxima, uerùm eximia uenustate uirginali

ginali habitu, quæ manibus ſublatis, ſacra quædam repoſita in capitibus ſuſtinebant, Canephoræ ipſæ uocabantur. Sacrarium, hodie uetus eſt ædicula, Diuo Michaeli dedicata. Aedes in ea urbe, ut ſuprà memorauimus, Sanctæ Mariæ, quæ proximis annis pulcherrima columnis, celebrique pauimento extructa, inſignis Archiepiſcopi ſedes.

Florentiſſima etiam Vniuerſitas, multò illuſtriorem Meſſanam reddit, quum Raphael Vola-

terranus, magnam Siciliæ Scholam uocat.

Ex qua, uelut ex equo Troiano, com-

plures doctiſſimi uiri prodierunt.

CATANIA IN SICILIA PATRIA DI S. AGATA



CATANA.

CATANA, vetustißima Siciliæ urbs, Græcis atque Latinis commendata Scriptoribus, una sui parte mari aluitur cæteris, ad radices Aetnæ, cui subest, extenditur. Hæc à Chalcidensibus, qui Naxum in Sicilia ædificauerant, anno mundi 4462. ut in supputationibus Eusebius refert, & septimo post Syracusas, ab Archia occupatas, condita est, lib. 6. teste Thucydide. Anno etenim nono, post Naxum extructam, cùm loca Naxi urbis Chalcidensibus habitationi minùs apta uiderentur, quòd paludum ac fluminum ex Aetna orientium, eruptionibus, quibus cœli inclementia excitabatur, essent obnoxia, (prout etiam hodie sunt) Theocles & Chalcidensium maxima pars, è Naxo transmigrantes, hoc loco delecto, sedes posuerunt, urbemque à Catano duce (ut à Græcis accepimus) Catanam appellauerunt: licet Thucydides Euarchum, Naxiorum coloniæ ad eam extruendam, authorem fuisse scribat. Sunt qui à situ potius, quòd nimirum sub alto monte iaceat, eam denominatam uelint. Nam Catena, Græcè, sub alto, est Latinè. Processu uerò temporis, cùm Hiero senior Syracusanorum Tyrannus, urbem Catanam superasset, expulsis Catanensibus, decem Megarensium, Geloûm, Syracusiorumq; millibus, magna quoque finitimorum agrorum parte, in capita distributa, eam habitandam dedit. Quam cùm Doricis, Laconicisque legibus exornasset, ut lib. 9. Diodorus, & li. 6. Strabo memorant, quò nouæ quasi urbis conditor uideretur, abrogato Catanæ nomine, Aetnam appellauit, cuius etiam non tyrannum, non Regem, sed habitatorem, ciuemque sese salutari uoluit. Unde & in certaminibus, quibus superauerat, uictor, non Catanæum se, aut Syracusium, sed Aetneum, noua ambitione, proclamari iubebat, ut Pindarus in Olympijs, & Pythijs tradit. Huic urbi, Hiero Chromium, quem ob singularem modestiam, probitatem, ac fortitudinem plurimum diligebat, gubernatorem præfecit; qui & ipse in Pythijs uictor, Aetnæus, eo-

dem

dem Pindaro teste, promulgatus est, Catanenses verò patria exutos, in Leontinos transcripsit, eamq; illis sedem constituit, iussitq;, vt cum incolis & ciuibus, eam vrbem incolerent. Id autem ex Hierone propterea factum est, vt idonea ac fida sibi ad emergentes necessitates subsidia, quàm paratissima haberet, & vt ex hac vrbe decem millium Colonorum quasi à se condita, præmia, laudesq; heroicas assequeretur. Moriens deinde apud hanc vrbem, & fato functus, non minores funeris honores nactus est, quàm, si vrbis conditor fuisset. Verùm prisci illi Catanenses, quos in Leontinos transcripserat, vt eum mortuum audierunt, patriæ amissæ desiderio, Catanam reuersi, profligatis nouis colonis, tumuloq; tyranni terræ exæquato, vrbi suæ pristinum Catanæum nomen, Aetnæo abolito, restituerunt. Hæc autem Catana ciuitas, antiquitus ad eam oram, qua Naxus petitur, insignem portum habebat: qui Aetnæ profluuio postmodum obrutus, vastissimis lapidibus plenus hodie conspicitur. Tria præterea Theatra memoratu digna erant in ea, quorum ruinæ adhuc visuntur. Quippe, muri pars, quæ Leontinos spectat, maximi theatri ex nigro, quadratoq; lapide structi, cui contigua est, præclaræ adhuc magnificentiæ monumenta exhibet. Alterum, iuxta Stesichoream, quam nunc Acidis portam appellant, in hunc usque diem, admiratione non indigna, sui vestigia reliquit. Tertium Catanæ, intra vrbem propè ædem D. Augustini, spectandas hucusque reliquias monstrat. Aedes quoque complures, dijs veteris superstitionis sacræ, hac in urbe olim erant. Sed præter cæteras Cereri religiosissima, Sacrarium (in Verrem inquit Cic.) apud Catinenses erat Cereris, eadem religione, qua Romæ, qua in cæteris locis, qua propè in toto orbe terrarum. In eo sacrario, in intimo signo erat Cereris perantiquum: quod viri non modò, quid esset, sed ne esse quidem sciebant, aditus namque in id sacrarium, non erat uiris: quoniam sacra per mulieres ac virgines confici solebant: hucusque Cicero. Sacrarium id extra portam vrbis, quam Regiam uocant, situm erat, ubi turris est hodie Episcopo inscripta: cuius mira adhuc uisuntur monumenta, superstructæ iam Spiritui sancto ædiculæ inclusa. Gymnasium habebat Catana honestarum disciplinarum studio, celeberrimum, quod M. Marcellus, captis Syracusis,

racusis, erexit, Plutarcho in Marcello: cuius pro mœnibus non longè à littore cernuntur ruinæ. Thermæ quoq; erant in hac urbe, cum columnis & epistylijs marmoreis ornatissimæ: quas, ubi nunc D. Agathæ uetus est fanum, fuisse, Catanenses, à maioribus per manus instructi, affirmant. Ex hac præterea urbe à M. Valerio Messala Cos. primo bello Punico Siciliam turbante, horologij usus Romam est adductus, Plinio lib. 7. cap. 60. Aquæductus ex quadrato & nigro lapide, à uiginti fermè p.m. ex fonte cui uernaculè Burta hodie nomen est, qui non longè à Paternione oppido, iuxta monasterium D. Mariæ Licodiæ emergit, in urbem affluentissimè, prisca ætate, perpilas, arcusq; aquas deducebant. Quorum magna & integra moles, neque inferior ea, quæ Romæ est, adhuc cernitur: licet dum pararem hæc ædere, ad noua urbis propugnacula struenda, non parum diminuta ac diruta fuerit. Catanam urbem prisco tempore, equestri militia, ac eruditione, opibusq; fuisse insignem, Pindarus, cùm ab equitatu, diuitijs, & sapientia Catanenses extollit, in Nemeis ode non scribit. Quam & locupletem, honestam & copiosam, in Verrem Cic. commemorat. In hac urbe (eodem authore) & summus Proardiorum magistratus fuit. Claruit olim & illustrium uirorum sepulchris. Quorum longior commemoratio, breuitatis studio, in Indicem huius operis, relata.

Catana, postquam Sicilia, captis Seracusis, facta est Romanorum prouincia, à Sexto Pompeio, cum reliquis Siciliæ ciuitatibus, uastata est: quam deinde Cæsar Augustus (ut lib. 6. Strabo memorat) restituit. Iterum tamen eam Fredericus Secundus Rom. Imperator, Siciliæ huius nominis primus Rex, quòd ab eo desciuisset, solo ferè æquauit: arcemq; in ea, quæ adhuc extat, in rebellionis formidinem, posuit. Qui pœnitentibus postea ac supplicibus ciuibus indulsit, ut urbem structura humili, ac lutea restituerent. Cuius deinceps mœnibus Fredericus Aragonius, secundus huius nominis Siciliæ Rex, quem tertium, falsò appellant, turres addidit. Martinus mox, ut domos, qua uellent altitudine, ornatu ac magnificentia, calceque firmarent concessit. Postea uerò Carolus Quintus Cæsar, Secundus huius nominis Siciliæ Rex, Catanam mœnibus & propugnaculis munitissimis, magnificentissimam reddidit. Nuper anno salutis MDLIIII.

CATANA.

Mense Maio, apud Catanam, in fodiendo littore apud portum cognomento Saracenum, in tabula marmorea quadrupedali, Fidius apud Græcos Trinomius, veteris superstitionis Deus, tribus his nominibus appellatus, Semipater, Fidius, & Sanctus, & his alijs, Honor, Veritas & Amor, sub tribus imaginibus sculptus fuit repertus: Honor scilicet, & Veritas manus dexteras iungentes; ille, aperto capite; hæc, pallio vittata: & Amor medius adolescens vtrumque complectens. Catanæ anno salutis MCCCLV. *pridie calendas Augusti, Friderico, huius nominis tertio Siciliæ Rege, rerum potiente quem Auritum appellabant, vacca, ad macellum ducta, vitulum, effigiem humanam, ac unum in fronte oculum habentem, edidit. Nobilitatur & hodie vrbs hæc disciplinarum omnium. Iuris præsertim Cæsarei, ac Pontificij Gymnasio insigni. Tulit Catana olim viros illustres complures, quibus plurimum est nobilitata.*

Catanæ quoque urbi sepulchro D. Agathæ virginis, quæ pro Christiana religione, sub Quintiano Siciliæ quondam Præside, anno salutis 252. occubuit, plurimùm ornamenti accessit. Ea namque, cùm ob id solum, quòd Christiana esset, tanquam malefica delata fuisset, plagas, fidiculasque primùm, mox à pectore vbera sibi ferro, ac igne diuelli passa, demùm, ex pedum plantis derasa cute, super ardenti igne, placido vultu incedens, intrepida, inuictam mortem in carcere obijt. Cuius nomen, tanquam Catanæ urbis tutelare, maximo totius Siciliæ virorum ac mulierum conuentu, nonis Feb. quàm religiosissimè colitur: tametsi Panormitani de eius patria contendant. Templum ei, tota Sicilia maximum, & cœnobium illi coniunctum, ab Angerio Catanæ urbis Episcopo conditum est, prout marmorea tabula, ad septentrionalem ædis portam infixa, has maiusculas inscripta, demonstrat: Anno ab incarnatione Domini 1094. indict. primæ, Vrbano II. Papa Romæ, Philippo Rege Franciæ, Rogerio Guiscardi Ducis filio, Duce Italiæ, Rogerio quoque fratre ipsius Guiscardi, Comite totius Siciliæ, & Calabriæ Domino, Angerius Catanæ Abbatiæ Episcopus, cœpi hoc ædificare monasterium, & ad finem usque compleui, adiuuante Domino nostro Iesu Christo. hucusque inscriptio. Rogerius etenim Normanus Siciliæ Comes, post exactos Sicilia Sarra-

cenos,

cœnos, Catana, Episcopali sede ornata, & cœnobio ordinis D. Benedicti, in eadem æde constituto, Angerium, cœnobij Abbatem, simul & urbis Episcopum instituit, cui Catanam urbem, Aetnam montem, atque Acim oppidum, dono perpetuò obtinenda, dedit, reseruato sibi pro censu anno, uini cyatho & pane: ut in eius diplomate dato Catanæ, anno salutis 1092. uidere est, Urbano Secundo Romano Pontifice, id confirmante: ut in eius priuilegio dato Anagniæ, 7. Idus Martij, anno salutis 1092. constat. Nicolaus cognomento Todiscus, Catanensis fuit. Is, Iuris Pontificij scientia, sua ætate, nemini secundus, Abbas uulgò dictus est: quòd Abbas erat monasterij Sanctæ Mariæ cognomento Maniacis, ad radices montis Aetnæ siti, 8. p.m. à Randatio ad Occidentem distantis. Nec multò post; ad Panormitanum Archiepiscopatum ab Eugenio quarto, Romanæ sedis Pontifice, per Alphonsi Arragonum, & Siciliæ Regis intercessionem, suffectus, postremò sedis Apostolicæ Senatui Cardinalis adscitus est. Bononiæ & Senis instituendæ iuuentuti operam dedit. In totum penè Ius Pontificium eruditissima edidit commentaria, quæ à peritis maximo in precio habentur. Hic in Concilio Basileensi, anno salutis 1440. consilio, doctrina, atque authoritate, cæteris omnibus præstitit. Galeatius siue Galeotus Bardasinus, ætate superiori, Catanæ oritur. Is, singularibus naturæ incrementis euectus, admirabili corporis magnitudine, eò proceritatis excesserat, ut communem hominum staturam uerticesq́, humeris superaret.

TRAPANO

DROPANVM VRBS EST SICILIÆ
TRANS LILYPÆVM PROMONTORIVM
NON PROCVL AB IRICE MONTE



PANHORMVS.

PANHORMVS, vulgò Palerma, Siciliæ Metropolis, vt celebris, ita etiam vetustissima vrbs, dicta à nauium applicatione, quæ undique illuc conueniunt: Græcè ormos, etenim portum, seu nauium stationem sonat. Fœlix in præsens vrbs, omniumq; maxima Sicilienſium in amœna ac iucunda valle ſita, ad Septentrionem ſpectat, pelagoq; abluitur Tyrrheno, muris ſepta perquàm altis, quod opus eſt Frederici Regis. Tres antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muri multis cum turribus lapide quadrato conſtructi, & nunc manent, vbi lapides literis inſcripti inueniuntur, quibus Noe tempore fuiſſe Panhormum plane conſtat. In palatio Sacellum eſt marmoreum ædificium totum, D. Petro dedicatum, pulcherrimum & religioſum, miroq; opere cruſtatum. Templum quoque eſt ingens, cuius exteriores parietes pulcherrimi à Gualthero Archiepiſcopo, Guilielmi Regis adfine, dedicatum, opus ſanè cunctis ſpectabile, vbi Siciliæ Reges ſepulti iacent: Propè eſt ad Orientem fermè celebre Hoſpitale. Altera ex parte locus eſt, vbi vetere conſuetudine aureas coronas Reges accipere conſueuerunt. Inſignis erat Panhormi Regia, nunc in mercium horreum mutata, vbi portitores ad Regis vectigalia exigenda diſponuntur. Curia item eſt prætoria pulchra, & propè fanum vetus, vbi virgines plures Deo perpetuò dicatæ.

Hæc Cl. Marius Aretius in Siciliæ Chorographia, apud quem plura.

DREPA-



DREPANVM.



REPANVM, urbs est Siciliæ trans Lilybæum promontorium, non procul ab Erice monte. De qua hunc in modum Cl. Marius in Siciliæ Chorographia scribit: Sub Erice monte Drepanum existit, quàm à Lilybæo promontorio, decem circiter & octo milliaria sepositò, Acinthius amnis diuidit, qui ex duobus in loco Marcanza nomine, ubi pons est, unus fit. Nomen non à Saturni falce deductum, quod fabulosum est, sed à curuo littore, ueluti Rhium promontorium in Peloponneso, quia curuum, Drepanum uocatur. Medio loco inter utrumque caput S. Theodori, antiquitus Egitharsus promontorium in Sardoo pelago protensum: Ptolemæus nomen quoque ciuitatis fuisse ait. Igitur in falcato posita littore, quo portus efficitur uastus, pulchra urbs ac diues, etiam spectat ad Occidentem. Insulæ in prospectu, quo ueluti munitiones ad portus augmentum seriò factæ maximè surgunt, quatuor sunt, parua una atque propinquior, Columbaria uocata, ubi inexpugnabilis arx. Reliquæ Probatia, Egusa, & Sacra, hodie Fauignana, Meretimum, & Leuasum uocatæ: Ea & portu, & salsis stagnis, quæ Solis ardoribus desiccata, incredibilem satis emittunt copiam, propè conse pta, expugnatu est ualdè difficilis.


TRIDNTVM
P.della Aguila
P.S. Marcin
P.S. Lorenco
P.S.

TRIDENTVM.

Vrbis Tridentinæ per Paulum Gherardinum elegans, & accuratè descriptio.

VRBEM Tridentum, ad Athesim, loco amœno, & salubre positam, quam in decima Regione Italiæ inter populos Mediterraneos, Plinius & Strabo collocant, Gallos condidisse scribit Trogus, alij Ethnicos, qui Duce Rheto in Alpibus sedes figentes, Rhetiæ nomen dedere, sed auctam post fuisse à Brenno, Duce Gallorum. Vt ut se res habet, ciuitas est perantiqua, quæ à Primordio varios sortita gubernandi modos, tandem Imperij Romanorum, cui diu subiecta fuit, inclinatione cessit Ostrogothorum potentiæ, quorum Rex Theodoricus, vt Regnum suum ab eo latere tutius redderet, cinxit eam muro è lapide quadrato, vt etiamnum licet videre, non ineleganter, complexus circiter mille passus, forma propemodum arcuata, munijtque Castellum Verrucæ, ex altera fluminis ripa, Tridento imminens. Post ejectis ex Italia Ostrogothis, subiugarunt hanc ciuitatem Longobardi, tituloque Ducatus Imperio suo subditam, tenuerunt. Sed & his cum eorum Rege Desiderio à Carolo Magno profligatis, postliminio ad ius redijt Imperatorum, ex quo initium opibus amplificandæ Ecclesiæ Tridentinæ. Nam Carolus Ripam oppidum ad Benacum. valles quasdam, & Iurisdictiones pro sua in Deum pietate, atque ecclesias munificentia, Episcopo largitus, & præclarè de hac ipsa Ecclesia est meritus, & successoribus suis Imperatoribus, Regibusq; Rom. præbuit documentum liberalitatis. Sed supra cæteros eminuit liberalitas Conradi Saxonis, eius nominis II. Imperatoris, & Franciæ Orientalis Ducis, qui Comitatum Trident. seu Ducatum, seu Marchionatum, item vallẽ uenustã, ac Bolzamum ecclesiæ huic donauit, ius profanum, quod tẽporale uocant, sacro & spirituali coniungens, quam donationem deinde ratam habuerunt Sueuici sanguinis Imperatores, Fridericus I. & se

cundus: Habiti sunt de hinc Episcopi Tridentini Principes Imperij, ijsq; ab Impp. diplomata (Regalia appellant) vt cæteris Principibus data. Et vt huius tam insignis Ecclesiæ status perpetuò tutior, securiorque persisteret, adscitus est ei defensor, & protector uicinus Comes Tyrolis, cuius potentia, atque auctoritas ipsius Episcopo, & Ecclesiæ ad omnes casus esset præsidio, hoc onus vt alacrius susciperet Comes, ornatus fuit ab Episcopo beneficijs minimè vulgaribus, Castris uidelicet, atq; Iurisdictionibus: ex quo inter ipsos Comites & Episcopos ad totius Prouinciæ, & dominiorum securitatem, nata est mutuò succurrendi, atq; auxilium ferendi necessitudo. Exercet itaq; Episcopus præter spiritualem Iurisdictionem etiam temporalem, quàm acceptam fert Imperatoribus, quos solos, ac supremos ea in re dominos agnoscit, & honorat. In spiritualibus porrò est illi Metropolitanus Patriarcha Aquilegiensis. Et quaquam ciuitatem Tridentinam antea spectabilem multa reddebant, vt templum Cathedrale operis exquisiti, sancto Vigilio Episcopo & Martyri consecratum, Collegioq; Canonicorum, uel nobilitate generis, uel doctrina Illustrium, ipsius Episcopi liberam electionem habentium insigne, & in quo Sancti huius, atque eius matris sanctæ Maxentiæ, aliorumq; sanctorum corpora, & reliquiæ præcipua in ueneratione habentur, ut item in templo D. Petri, quod Germanorum est B. Simonis pueri ante annos centum à perfidis Iudæis martyrio coronati corpus multis miraculis clarum: ut, Arcis quam Episcopus inhabitat magnificentißima, regijque palatij modum structura, ut ædium priuatorum elegantia & commoditas tanta, quanta in nulla alia Ciuitate mediocri qualis est hæc, reperiri affirmant illi, qui pleraſque orbis regiones, Ciuitateſque peragrarunt: vt riuuli, plateas omnes cilice concinnè stratas perenni decursu irrigantes, atque immunditiem omnem abluentes: huic tamen Ciuitati tantum addidit celebritatis sacrum, & œcumenicum superioribus annis in ea habitum, finitumq; Concilium, ut propterea inter præcipuas Europæ Ciuitates meritò debeat numerari; est quidem alpestris huius Regionis situs, sed tamen præter aeris miram salubritatem, ijs abundat ad uiuendum commoditatibus, vt paucis æquali magnitudine Regionibus debeat inuidere. nam frumenti, olei, lactis,

Etis, carnis tam altilis, quàm ferinæ, piſcium quoque, & omnis generis fructuum ea hic eſt præſtantia, atque copia, vt VII. *S.R.E. Cardinalibus, inter quos quinque erant Sedis Apoſtolicæ Legatis,* III. *Patriarchis, Archiepiſcopis* XXXIII. *Epiſcopis* CCXXXV. *Abbatibus* VII. *ordinum generalibus* VII. *Theologis, tum ſæcularibus, tum Regularibus* CXLVI. *Ferdinandi Cæſaris, tam Imperij, quam Regnorum ſuorum, Hungariæ & Bohemiæ nomine, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Portugalliæ, Venetorum, Ducum, Bauariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, aliorumq; Eccleſiaſticorum Principum: Item Heluetiorum* VII. *Cantonum oratoribus, eorumque familijs, quæ in uniuerſum quatuor millium Capitum numerum excedebant, cum omnium admiratione commeatus, aliaq; ad ſuſtentationem neceſſaria ſup peterent. Gens ipſa hoſpitalis eſt, & aperta, iras quacunque de cauſa conceptas facilè remittens, in quo Germanicam ingenuitatem refert, quæ ſi quo ualet ingenio, id ad publicam rem priuatamque amplificandam conferret ſtudioſius futurum eſſet, vt Ciuitas hæc propter ipſius ſitum, fluminiſq; opportunitatem, vicinas opibus uel ſuperaret, uel certè æquaret. Argumento eſt, quòd qui hinc aggreſſi peregrinis in Regionibus uerſantur alij optimarum diſciplinarum egregia cognitione, alij virtute bellica, militiæque officijs etiam primarijs alij negotiatione, alij alijs bonis rationibus & rem, & exiſtimationem non parum auxerunt. Ac fuerunt inter eos omni tempore uiri, & ſunt, qui uel propter ſacrarum, & ciuilium legum, uel artis Medicæ ſcientiam: hi Imperatorum, Regum, aliorumque magnorum Principum tuendæ ſanitati periti cuſtodes accerſiti, illi iuri dicundo, legationibus, alijſuè honeſtiſſimis muneribus præfecti, laudem magnam retulerint, hodieque ſimilibus ex functionibus referunt. Præter ius commune habent Tridentini leges municipales, quas eiſdem Epiſcopus tamquam ipſorum Princeps confirmat. Vtitur ciuitas hæc Idiomate Germanico, & Italico, vtpote ex his nationibus conflata, quanquam longè ſit maior numerus Italorum. Et quod in Ciuitatibus, limitaneis perrarum eſt, tanta eſt vtriſque ſermonis puritas, ut uel in media Germania, uel Italia uix audias purius loquentes, portas habet quatuor, Sancti Martini, Sancti Laurentij,*

rentij, Sanctæ Crucis, & Aquilanam: Xenodochia quatuor: Parochias item quatuor, sancti Vigilij, sancti Petri, sanctæ Mariæ Maioris, & sanctæ Mariæ Magdalenæ. Monasteria in ipsa Vrbe duo, sancti Augustini, ad sanctum Marcum Virorum, & ad S. Trinitatem, mulierum obseruantium. In suburbio quinque, Cruciferorum, sancti Dominici, ad sanctum Laurentium, sancti Francisci Conuentualium, & alterum obseruantium ad sanctum Bernardinum. Item S. Claræ, ad sanctum Michaelem. Numerat Ecclesia Tridentina à Iouino primo Pastore, & Episcopo instituto à S. Hermagora eiusdem Ecclesiæ fundatore, nunc nonagesimum septimum Ludouicum ex Baronibus Madrucij, in ipso Episcopatu oriundum S. R. E. Cardinalem, apud sedem Apostolicam Nationis Germanicæ Protectorem: Virum in quo siue doctrinæ in Theologia, ac Philosophia, omnibusq; liberalibus disciplinis excellentiam, siue rerum maximarum usum, siue pietatem in omnes, siue denique religionis Catholicæ amplificandæ studium spectes, nihil queat desiderari, licet aliquod ordine sequentes ipsum Iouinum sine mitra episcopali præsiderint huic Ecclesiæ. Inter episcopos præcipuè celebratur memoria sancti Vigilij, doctrina, martyrio, & miraculis clari, cui dicatum est templum Cathedrale, & anniuersarium festum sexto Kal. Iul. institutum. Et quanquam ecclesiæ huius opes magna ex parte temporum iniuria sint diminutæ, manet tamen adhuc illi dominium Ciuitatis, & eius Prætura subiecti Territorij: Oppidorum Ripæ, Trameni, Pertini, & Leuigi. Vallium item Nauni, seu Annaniæ, Solis, Lagarinæ Iudicariarum, Flemarum, & Randenæ, in quibus vallibus permultæ sunt Parochiæ populatæ, & Arces, Nobilium Virorum sedes ecclesiæ huius beneficiarij, seu Vasalli etiamnum sunt, Comes Tyrolis, Dux Mantuæ, Comites Archi, Comites Lodroni, Comites de Lichtenstein, Barones de Mandrutio, de Vuolkenstein, de Vuelsperch, de Firmiano, de Spauro, de Payrsperg: Nobiles domini de Gresta, de Biseno, de Thono, de Artzio, de Clesio, alijq; complures, Castra, Iurisdictiones, Decumas, Prædia, Possessionesq; ab episcopo in feudum recognoscentes. De Tridenti etymo sic scribit Princius in historia sua Tridentina: coniectura est, à tribus torrētibus ex propinquis montium

tium iugis prope urbem cadentibus, Tridentum, quasi torrentum vocatum fuisse, quorum unus per portam Aquilæ in mœnia delatus, angusto alueo per mediam urbem Athesi commiscetur, alius qui Fersina appellatur, muros præterlabitur, tertium paulò longius delabentem, Seletum nominant. Alij existimant à tribus dentibus appellatum, quia inter tria montium cacumina positum sic Sunt, qui à Tridenti illi nomen datum fuisse disputant, quòd ea Ciuitas à principio fuerit Neptuno dicata, quod vt facilius persuadeant, verisimili vtuntur argumento. aiunt enim, sicuti Randenenses Saturnum, ita Tridentinos Neptunum coluisse, quem Deum tridente vsum fuisse fabulata est antiquitas: ad hanc coniecturam validum adferunt testimonium: affirmant enim, eo in latere templi D. Vigilij, quod forum respicit, extare lapidem, ut licet uidere uetustissimum, & aliqua in parte corrosum, in quo cernitur Tridentis forma, quo facilè ducimur credere, Neptunum olim à Tridentinis, vt Deum cultum fuisse, atque inde vrbem nomen traxisse.

MALTA.

MALTA.

Malta Città

Borgo S. Michel

Valeta.

Borgo S. Angelo

Castel di S. Angelo

Castel S. Elmo


MALTA.



ALTA, olim Melita, medio ferè pelago inter Lilybæum Siciliæ promontorium, & Cercinnam Aphricæ insulam, tamquam clauis ponitur, qua in Siciliam & Aphricam patet introitus. Eiusdem nominis oppidum, & valde munitas habet arces, nimirum S. Elmi propugnaculum, iuxta quod oppidum nouum post Turcicum bellum ædificatum est. Burgum S. Angeli, & S. Michaelis munitionem. Quemadmodum autem D. Paulo, facto naufragio, ita & Hierosolymitanis equitibus, capta a Turcis Rhodo, hospitium præbuit. Qui summis viribus potentem Turcarum classem, Anno partæ salutis MDLXV. ab hac Insula fugarunt. Cotoni, rosarum, cumini, omniumque Italicorum fructuum ferax, numquam glaciem, aut niues uidit: Serpentes non habet, nec Scorpio in ea lædit veneno. Nihil ædificiorum indulget splendori, humilioribus contenta casis, ob lignorum inopiam, unde carduis arefactis, ignem in ea struunt, & boum edito stercore arefacto. Plura apud Quintinum Heduum, qui accuratissimè Melitensem insulam descripsit, inuenies.

CALA-

CALIARI.




CALARIS
SARDINE PRIMA
RIA CIVITAS

TAVRINVM.



Olomeus, & Cornelius Tacitus TAVRINVM vocant Augustam Taurinum. Plinius verò Taurinum dicit antiquam stirpem Ligurum. Scribunt quidam Eridanum, uel Phætontem condidisse hanc vrbem, & à suo illam Eridanum appellasse nomine, quidam uerò asserunt, Lamisonem Noe nepotem illam ædificasse, & sua lingua Lemisonem dixisse, quod Taurum designat; vnde Taurini nomen emersit. Stephanus Grammaticus ait, illam sic dictam à Tauro, qui erat Massiliensium insigne, à quibus fuit Ciuitas hæc ducta Colonia. Præ cæteris eius arguit nobilitatem, quòd fuerit Romanorum colonia. Ad Montium radices, quadrata forma, quatuor portis, atque ingenuorum ciuium multitudinem amplecti videtur.

Præclara hic sese offerunt ædificia, præsertim ecclesia maior. Publicum habetur Gymnasium, earumq; abundantia rerum, sine quibus viuere non possunt mortales. Est illi optimus, ac fertilis ager, præcipuè ad Meridiem, & Orientem Solem. E' vallibus, quibus imperat, copia educitur ferri. Liuius narrat, olim hanc vrbem ab Annibale subiugatum fuisse. Hæc fuit antea Longobardorum Sedes, Regum Italiæ, Imperatorum, Marchionum Montisferrati, Sabaudiæ Ducum, & Gallorum. Hoc tempore 1598. hic regnat Sabaudiæ Dux. Reliqua Leander.


PARMA
P. S. Michele
P. S. Biasio

PARMA.



Eruetusta ciuitas Parma, à Thuscis, qui Lombardiam diu possederunt, condita, & à principatu coloniarum, sicuti censet Annius, denominata, in Lombardia Aemilia via situ est plano, quinis ab Appennino P. M. suburbijs, quæ ad Occasum conuersa sunt, ab ipsa ciuitate flumine Parma diuisis, cuius transitus ponte lateritio iungitur. Aedificijs splendida cum primis est, incolæ venusti, nobiles, animosi, ingenioq; non solùm ad Reipub. moderationem, sed etiam ad litteras, & rem militarem aptissimo. Rebus ad vsum mortalium in primis abundat. Agrum habet optimum, amœnissimumq; ac fœcundum, tritici, fabæ, caterarumq; frugum: itemq; nobilium fructuum & vini omnigeni, dulcis, acuti, albi, uermiculi, fertilem. Nec caret medicatis aquis ad multa salubribus: vndique campi circa longè lateque sternuntur pascuis lætissimis fœlices, summa opportunitate pecuariæ rei, vnde in tantum mirabili abundantia lac, caseo figurando percipitur, vt copia fidem excedat, ni videris, obtinetque summum tota Italia commendationis gradum caseus Parmensis cum Placentino, ac Laudense. Præterea quoque greges ouilli amplissimi hic aluntur, nobilitate vellerum in primis laudati, de quibus Martialis:

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Isidorus Clarius Episcopus Fulginatis, secundo Orationum volumine commendans D. Ioannem Parmensem, qui primus eiusdem urbis Cœnobio Sancti Ioannis præsuit: Inter cætera, inquit, Parmam clarissimam esse Romanorum coloniam, & quòd pleræque ibidem familiæ ab Romanis originem duxerint. Tum, quòd Parma ingenijs excellat, sit soli ubertate læta, cœli clementia salubris, & situ iucunda, quam neque hyems, neque æstas affligat.

L' ANTICHISS.E NOBILSS. CITTA DI PIACENZA



PLACENTIA.



Mnes, quòd sciam, Scriptores, hanc vrbem PLACENTIAM *dicunt. De illius ædificatione multi sentiunt multa, quos tamen Leander enumerat. Ad Padum est amœrissimo loco sita. Sunt illi à Meridie affluentes campi, & fertiles colles. Ex eius agro exportantur ea, quæ ad tuendam vitam hominibus prosunt. Ferunt inprimis campi, frumenta, & aliarum copiam frugum; dant deinde colles odorata vina, dulces fructus, & oleum. Prata uidentur in planicie, ad animalium pastiones lata, undique limpidis aquis irrigua, arte quadam per riuulos ductis, & à proximis extractis fluminibus, nec non scaturiginibus, aquarum quidem, vt opportunis temporibus uirides ferunt herbas, ad innumeros armentorum greges alendos, qui caseum hic ea bonitate conficiunt, vt in Europa fere tota magni sit pretij. Salsæ aquæ putei reperiuntur in Placentino agro, ex qua ignium vi educitur sal candidissimum.*

Hic etiam in loco dicto le Ferrere, sunt ferri fodinæ, quibus addo syluas opacas animalium siluestrium venationibus aptas. Variæ hanc urbem tenuerunt gentes. Creuit nunc populo, & opibus, cumque antea non satis firmis cingeretur muris, est modo ita optimis munita mœnibus, arceq; firmissima, vt in munitissimis Italiæ vrbibus collocari possit. Eam perillustris Farnesiorum familia tenet, iusteque gubernat. Placentinos illustres commemorat Leander.

CRE-

CREMONA



Cremonae abitus qui nunc moenibus septus est cubitos undicim. M Ducentos quinquaginta complectitur

CREMONA.

CREMONA *est illustris Romanorum Colonia. Strabo, & Cornelius Tacitus illam hoc appellant nomine. A Plinio ponitur decima Italiæ regio, & à Tolomeo in Cenomanis locatur. Leander dicit se in quibusdam Cronicis legisse, quòd ab Hercule originem ducat. Quæ sit incommoda passa, quibusuè seruierit idem ipse declarat Leander. Iacet ad Padi ripas, præbetque hominum victui necessaria, cum agrum sanè fertilem possideat, ex quo frumentum percipitur, millium, aliasque segetes, ac vinum. Hic est præclara planities, in qua ordines arborum uidentur in quincuncem directi, quibus uites comites adiunguntur. Quos hæc Ciuitas præstantes genuerit viros, tibi dicet Leander.*

BOLOGNA

P. di stra S. Stefano

P. di stra Maggiore

P. di stra S. Vitale

P. di stra S. Donato

Savena

P. di Galiera

P. di S. Francesco

P. di Saragozza

P. Pia

P. di S. Felice

P. delle lame

Di Padua.

BONONIA.

BONONIA, ampla, perantiqua, & honestissima Romanula, seu Romandiolæ, ut vulgus nuncupat, vrbs Felsina quondam, à quodam Gentis Duce Felsino, Catone, Sempronioque testibus, denominata. Quam quidem appellationem, vniuerso etiam tractui, ut Cato tradit, inter Rauennam & Ariminum, ut Sempronius, usque ad Rubiconem, quod uerisimilius uidetur, gens ipsa dedit. Apposita est radicibus Apennini, Aemilia in uia, ut à meridie Apenninus immineat, ab exortu, amnis Sapina sit, à Septentrione, fertilis & amœna planities, ab Occasu flumen Rhenus, torrente Aposa, per mediam urbem labente. Primùm, ambitu exiguo fuit, nimirum, vt prisca ferebant secula; qua de re scripsit Dionysius Halicarnasseus; etenim, duabus omnino portis, exitum, ingressumq; præbebat, una ad Orientem & Rauennam conuersa, quæ Rauennalis; altera, uersus Occidentem, ad Mutinam, quæ Stiera dicebatur. Et, quoniam ad huius ætatis rationem, arcta erat vrbs, in portis tantum duabus opportunitatis, quantum erat satis, habebat. Deinde, sub Gratiano Imper. totidem quot prius erant, adiectæ sunt. Vna nimirum, ubi hoc tempore Crux Stracastilionis, altera, ubi Crux sanctorum est. At, post Theosionanam calamitatẽ, cum à D. Petronio instauraretur, portæ nouem factæ, uel, ut alij dixere, XII. ubi etiamnum turres quædam humiles cernuntur, vulgus Tarrisottos nuncupat. Ad extremum, in hanc formam, qua nunc est ampliorem redacta ciuitas, portas accepit XII. auctaq; adeo est, ut annis superioribus cum metiretur: ambitu mœniorum interno pass. millia V. in longum bina millia, dempto quadrante, in latum amplius mille pass. nempe Diui Mamoli inter, & Galerianam colligere apparuerit. Speciem habet oneratæ nauis, in longum, quàm ex transuerso, patentior: uno capite proram, altero puppim referens, medium turre Asinellorum celsissima, mali instar, & Turre Garisenda inflexa, scalæ modo obtinente: cum multis præterea turribus, funes tanquam exprimentibus. Aedificijs ma

gnificis atque ſumptuoſis,cùm diuinæ rei,tum ciuium utilitati deſeruientibus nitet.quorum & multitùdo, & ſplendor tantus,ut mehercle paucas Europæ totius urbes,huic comparari poſſe,cenſeam.Compertum id nuper,cum hic Carolo V. Imper.auguſtalis dabatur corona : Siquidem,hoſpitium abundè commodum tot Principibus,familiæq; item Pontificali Clementis Septimi,cum ſumma omnium admiratione præbitum. Inter præcipua fana primum D. Petri eſt. Epiſcopi ſedes,in quo Cardinales antiſtiteſque ac eruditi uiri, quamplurimi iacent,nominatim Baſsianus Archidiaconus. In foro dein ampliſsima D. Petronij urbis patroni ædes,cuius ædificationi finem eundem fore,qui & mundi erit,ego cenſeo.Templum hinc eſt D. Dominici,in quo ipſius Diui oſſa,candidi marmoris tymbo,excellenti opere perfecto, iacent. Caput uerò ſacrum,in tholo quodam ditiſsimo monſtratur, prætereaq; una ex precioſiſsimis ſpinis de aculeata Seruatoris Chriſti corona cum Bibliis ab Eſdra propheta in album corium deſcriptis.Hoc quoque templo ſiti ſunt celeberrimi Iureconſulti; item Oratores præſtantiſsimi,Græciſque iuxta,ac latinis literis pereruditi, aliiq; plurimi excellentes uiri,quos omnes referre,nimis longum foret,quos omnes Leander in ſua Italia, & poſt eum Laurentius ſchraderus ſaxo accuratiſsimè recenſet.Ipſo in Cœnobio ampliſsimo,quo ferè CXX. ſacris deuoti habitant monachi,præter alia; nec ignobilia opera,celebris bibliotheca eſt,cui nullam uſq; aliam præferri,aut etiam comparari poſſe,reor. Poſtea D.Franciſci ædes eſt nobilis, mirabili artificio conſtructa,ubi permulti quoque docti homines ſepulti ſunt. Cœnobium amplius centum monachi tenent. In pulchra Eremitarum æde,Sacellum eſt ſplendidiſsimum à Ioanne Secundo Bentiuolo ædificatum,opus meherclè,regium.Denique magnificum eſt cœnobium D. Saluatoris, inter Italiæ totius egregia opera numerandum.Alia præter hæc templa,monaſteriaq; ſunt multa,utpotè D.Stephani, ubi tot ſacratæ reliquiæ monſtrantur à D. Petronio huc delatæ,ut res admirationis plena ſit, quæ gratia breuitatis, unà cum eleganti fano D. Ioannis Montani,in quo Canonici Regulares ſacris operantur, & Carolus Ruinus celeberrimus Iureconſultus eſt ſitus,prætermitto Quod ſi quis, ampliorem Sacrarum domuum huius urbis commemo-

rationem

rationem requirat, abundè illi primis historiæ Bononiensis liber Leandri satisfaciet. Ex alijs nobilibus operibus, quin Curia Senatus, inter præcipua totius Europæ ædificia poni merito possit, haud dubitatur, si modo elegantiam, & amplitudinem spectemus, non pretium, quoniam ex cocto latere tota constat. Priuatæ item domus ornatissimæ, sumptuosissimæque permultæ sunt, quas in historia Bononiensi Leander describit, neque paucis omnino hic possemus referre. Turres urbs plurimas habet, inter cæteras illam cum Europæ totius altissimis commemorandum Asinellorum. Adiacet urbs Apennini pedi, montibus nimirum ab Austro imminentibus, quam partem oleæ, vites, ficus, pomi, pyri, aliæque fructiferæ arbores undiq; conuestiunt. Reliquis lateribus amœni campi longe, lateq; sternuntur, tritici, hordei, fabæ, cæterarumque frugum fertiles. Sed & linum, & canabem, & satis utrunque genus, & hordeum, aliaque ad humanæ uitæ necessitatem opportuna, ferunt, ac præterea perbellos arborum ordines cum uitibus habent, ut eum ex campestribus, tum è collinis fundis omnia uini genera legantur, uidelicet, apianum, trebianum, dulce, austerum, uehemens, medium, acutum, album, rubellumq;. Abundant etiam moris arboribus, quarum fronde, vermiculi sericum generantes, enutriuntur. Nec desunt herbida prata hoc agro, densæq; syluæ, cum lignatione, tum uenatu opportunæ, præterea, nec fontes calidarum ac frigidarum aquarum medicati, aliaq; similia Bononiensis habet ager, unde non difficulter urbis abundantiam opulentiamq; colligere est, ob quam meritò Bononia crassa, vulgò nuncupatur. Magnitudo autem urbis, & ædium splendor, hinc æstimari potest. Anno quippe MDXXIX. Clemens Pontifex cum XV. Cardinalibus eò venit, paulòq; post etiam Carolus Quintus Imperator maximo regulorum cœtu comitatus, maximisq; copijs, coronæ augustalis accipiendæ gratia, quo tempore Principes, & Rerumpubl. totius ferè Christiani orbis legati huc confluxere. Pontifici una cum Augusto in curia Senatus, hospitium præbitum: compertaq; tum urbis amplitudo, tot Cardinalibus, Principibus, regulis, militibus, alijsq; mortalibus commodè exceptis quot mehercle paucæ, vel fortassis nullæ, totius Europæ hospitandis, tam opportunæ queat inueniri: pariterque, qua est

omnium

omnium rerum ad uitam utilium abundantia, copiaque intellecta, Triumphus tum Bononiæ habitus, quo splendidiorem ac magnificentiorem institui haud posse, crediderim, qui eruditorum historia, ac uersibus pictorum item tabulis & ectypis celebratus est. Ac præsertim graphica Ioannis Hogenbergij manu, rigido mansura metallo, exaratus, extat. Ornamento uerò peculiari à Theodosio iuniore Bononia decorata. Is, Anno à Christi Natiuitate CCCCXXXIII. *à patre subuersam restaurauit, additis generalis Academiæ disciplinarum omnium ampliſsimis priuilegijs, prout ex eleganti Rescripto, intelligi potest.*

Ne bonæ artes, cunctarumq; disciplinarum dogmata depereant, cum mores, sanitas, militia, cæteraq; id genus optimis doctrinis gubernentur. Nos Theodosius, Dei gratia Romanorum Imp. Augustus: commoditate ac fertilitate loci capti, quinq; ac uiginti mensium pensato consilio, in dignitatis nostræ solio sedentes, generali Christianorum conuocato concilio, summo Pontifice Cœlestino, Cardinalibus XII. Archiepiscopis, Episcopisq; innumeris, aliisq; in uarijs dignitatibus constitutis Principibus, ac Ducibus Christianis, Balduino quoque Flandrensi, & Gualtero Pictauiensi comitibus legatis, quorum alter, Ludouici Franciæ, alter Philippi Angliæ Regum, illis arduis negotijs addictis, uices gessere, sedente etiam centum Senatorum collegio: Bononiam, omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum apiarium, perennem studij sedem fore, hac inuiolabili indulgentia decernimus. Volentes insuper, ut omnes sententiæ à Iudicibus, qui in alma hac ciuitate, per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant. Et, si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio, quàm ab Archidiacono Bononiensi librum magistralem susceperit (quanquam id quarumlibet facultatum periti) præstiterint, approbauerintq; eum, auctoritate nostra, omni dignitate priuamus. Si quis uerò scholasticos ad studium hoc euntes, abeunteſq;, ausu temerario offenderit, capite puniatur. Hoc ni præses exequatur, eadem illum pœnam affici, iubemus. Huius autem sacræ constitutionis exemplar, Bulla aurea maiestatis nostræ munitum, manuq; Ciceronis curiæ nostræ Notarij scriptum ad perpetuam rei memoriam, Petronio Episcopo Bononiensi, ex Cæsarum Constantinopolitanorum

litanorum ſanguine orto, idem ſummis precibus efflagitanti, ac procuranti, gubernandum, cuſtodiendum, omnibus uiribus exequendum tradimus, ac concedimus. Romæ in Capitolio, Anno dominicæ Natiuitatis CCCCXXIII. *die nono Maij.*

Atque hinc quidem maieſtas & magnificentia Bononienſis Vniuerſitatis euidenter conſtat. De qua etiam breuitatis cauſa, iam non commemoro, quid Bartholus, Baldus, Azo, Gloſſa, alijq; celeberrimi uiri, ſcriptis mandarint, quæ in huius operis Indice paucis delibantur. Si quis autem uariam Bononienſis Reip. formam, & terribiles eius caſus mutationeſq;, &, quæ de Vrbis ornatu, ac opulentia recenſeri poſſent explicare uellet, nec non, de ingenijs alumnorum eius, cum ad diſciplinas humanitatis paucis temporibus peridoneis, tum etiam ad arma cum bellum incidit, qui item celebres uiri inde orti, quorum alij ſanctorum ordini adſcripti, alij Pontifices, Archiepiſcopi, Cardinales, Epiſcopi, ſummarum facultatum doctores, Hiſtorici, Antiquarij, Sculptores, Pictores, Militum Duces, horum inquam, commemoratio tam prolixa foret, ut, nauſeæ tædio lectorem adficeret. Eos itaque, & alia Bononiæ memorabilia plurima, qui cognoſcere uolet: is Leandri Italiam, potiſſimum uero, quos peculiares, de patria ſua Bononienſi libros ſeptuaginta quatuor is idem conſcripſit: quorum pleriq; typis commiſſi ſunt, legat. Item Benedicti Morandi hiſtoriam, quam de origine Bononiæ eleganter ſcripſit. Similiter Hieronymi Albertutij Borſelij Vrbis Bononienſis annales, quos uſque ad annum Chriſti MCCCCXCVII. *deduxit.*

MAN-

MANTOVA

P. de Pescaria

P. de Pradella

P. de Sores

IL PORTAGO

il Porto

P. S.

MANTVA. LOMBARDIE TRAN
SPADANE, VRBS CLARISS. ETAN
TIQVISS. VENVST ISSIMV INME
DIO PALVDIVM SITV OPTINET

MANTVA.



MANTVA, peruetusta Lombardiæ ciuitas, medio stagni, ab Ocno, filio Tiberij & Mantus Tiresiæ Thebani vatis filiæ, ad Padum condita, & à nomine matris eius, Mantua, Virgilio Mantuano, Poetarum principe asserente est cognominata. De cuius primordio, Leander in operosa & accurata Italiæ suæ enarratione, variorum opiniones prolixius referens, hanc tandem suam, uti ueriorem interponit sententiam. De Mantua inquit, principio, ut ab diuerticulo redeamus ad rem, nos hæc adferimus. Vrbem ante bellum Troianum, annis sexaginta conditam reperio, temporum huiusmodi supputatione. Thebis Oedipus regnauit, quo tempore Hierosolymis Abimelechus Iudex. Troia euersa est quarto anno regni Abdonis Iudicis: & inter vltimum Abimelechi annum, usque ad Abdonis tertium, medij fuere sexaginta. Iam Troiæ excidium vrbem Romam annis CCCCXXXI. *antecessit, vti D. Hieronymus testatur: Romam conditam à Romulo* DCCLII. *ante Christi Saluatoris natalem, auctor est Orosius: itaque non comprehenso eo tempore, quod ab interitu Thebarum, quo Mantua recentior, vsque ad excidium Troiæ interfluxit, exactè summa collecta Mantuam ante* CHRISTI *Natiuitatem anno* MCLXXXVIII. *conditam apparebit. In Mileti tamen Chronicis traditur, ædificatam post natum Abrahamum annis* DXXX. *qui ante vrbem Romam conditam ferè* DLXX. *sunt. Abrahamum autem vrbe Roma* MCC. *annis superiorem fuisse D. Augustinus perhibet: ex qua summa si* DXXX *demamus, qui natalem Abrahami nimirum, & initia Mantuæ intercessere, dein* DCLXX. *sumamus, quibus Mantua Roma antiquior, additis* DCCLII, *qui ab vrbe Roma condita, vsque ad Christi Natiuitatem; vt Orosius tradit, medij fuere, Mantua ante Christi Nat. annis* MCCCXXII.

ædificatam consequetur. Et quidem extra controuersiam est, quin antiquissima, nobilissimaq; origo Mantuæ sit, vtpotè quæ ab Ocno condita, sicuti prædictum. Itaque ab initio Thusci, qui authores fuerant, rerum in ea potiti sunt: ab his autem ad Imperium Gallorum deuenit, quam illi in Italiam ab Arunte Clusino acciti, in vltionem stupratæ ab Lucumone vxoris, circa Tarquinium Priscum ducentum ante Romam crematam annis, post ætatem auream paulò minùs MD. Hetruscos sensim Transpadana primum regione, post etiam Cispadana pepulere, ex qua tum Rhetus gentem reliquam Tuscorum, vltra Padum in agrum Rheticum, qui nunc vocatur eduxit, vt Cato, Polybius, aliiq; scriptores perhibent. Itaque post Hetruriam Galli hic denominati sunt, à quibus Transpadanæ, Cispadanæque Galliæ nomina: quia verò Cenomani ex vltimis Galliæ Transalpinæ finibus profecti, has erant sortiti sedes, Cenomanorum nomen hic remansit. De Gallis dein agrum hunc cepere Romani, de ijs inclinata re Romana, Gothi atque Longobardi: sed his expulsis, Imperatorum Cæsarum potestas redijt: qua rursum labante, cùm totius Italiæ ciuitates sub nomine Romani Imperij pro liberis se gererent, eodem Reipub. statu Mantua fuit, donec ab Othone secundo Impera. Thedaldo Comiti Canossano, propter officia patris eius Actij erga Romanum imperium singularia, donaretur. Successit in dominatu Thedaldo Bonifacius filius, qui cum absque liberis maribus obijsset, Beatrix vxor præfuit, ac postea Mathildis filia perillustris mulier. Illi imperium huius urbis Henricum tertium Imperatorem Augustum eripuisse, scribit Aequicola. Sed in Germaniam reuerso Imperatore, cùm suam sibi potestatem Mantuani rursum arripuissent, ea tandiù potiti sunt, donec à Mathilde Comite vehementer & perarctè obsessi, rebus diffidentes, uoluntariam deditionem fecerunt pridiè Calend. Nouembris, anno à Christo nato MDXIIII. post vsurpatam libertatem XXIIII. Mathilde tamen anno sequenti intercepta satis, sub nomine Romani Imperij uicissim in suo esse iure cœperunt. Ea ciuitatis forma dein ad annum à Christi Natiuitate MCCXX. durauit, vt Volaterranus & Aequicola perhibent: tum enim dominatum

minatum occupauit Sordellus ex Vicecomitibus Goitinis, uir strenuus & prudens, qui primus omnium post Mathildem Comitem Mantuæ Princeps fuit. Dein ab anno Christi MCCLXXIIII. usque ad Saluatoris annum MCCCCXXXIII. decem ex ordine principes Mantuanam Rempubli. administrarunt. Quo tempore Ioannes Franciscus Gonzaga Mantuæ Princeps, à Sigismundo Impera. August. Marchio dictus est, uti inscriptio turris horologij Curiæ, uersus plateam patens indicat, ubi marmor hac sententia legitur xix. Calend. Septemb. Mantuæ principatum fortissimè cœpit Ludouicus Gonzaga, abauus illustris Marchionis Francisci Gonzagæ, qui in principatu succeßit die septimo Idus Martij, an. post Christi Natiuitate MCCCCVII. natus anno undecimo, mense nono, dies nouem. Hunc decimo Calend. Octobris MCCCCXXXIII. à Christo nato anno, Serenißimus Sigismundus IIII. suis manibus, & ore Marchionem Mantuæ designauit, in magnificentißimo tribunali, in foro D. Petro Mantuæ, conceßis insignibus aquilæ nigræ, albo in campo, cum rubente cruce. Urbs ipsa in medio paludum posita est, quas Mincius amnis creat, ut adeo munitißimum, si ulla Italiæ ciuitas obtineat situm. Ampla ædificata est, & sumptuosißimis ædibus ornata, inter quas eximium prætorium Andreæ Mantegnæ nobilißimis picturis decoratum: ubi septem non modicæ tabulæ cernuntur, quibus triumphus Cæsaris tam excellenti arte est expreßus, ut inter celeberrima, præclarißimaque summorum pictorum opera, meritò censeri queant. Splendidißima in Curia Senatus pernobilis ille locus est, quem Cryptam uocant, rebus preciosißimis confertus, expletusq; ab Isabella Francisci Marchionis ultimi uxore. Culta hic antiquitatis monumenta singularia, multa signa mirabilia cernere est. Inter cætera duo Cupidines sunt, uetustus unus, alter recens: hunc si prius uideas, opus admirabile iudicaueris, si cum primo conferas, tantum differre uidebitur, quantum ab uiuo animal exanime. Cum maximo etiam gemmarum, & preciosißimorum uasorum ex auro, argentoq; numero, cornu insigne cernitur Monocerotis, præcipua proceritate mirabile, paulum tamen ad extremum caput arrosum. Sunt iam in hac regia singulari artificio nostris

temporibus organa facta, solido ex alabastro, peringenti sumptu, quibus ego cani aptissimè ac suauissimè audiui. Præterea quoque multæ sunt vrbe tota permagnificè domus, ædesq; sacræ: viri cum ad litteras, tum ad arma, mercaturam, aliaque negotia prompti aptiq;. Ciuitas omnibus rebus ad vsum humanæ vitæ cum primis affluit. Memoriam eius plurimi Historici ac Poetæ celebrant, nominatim Ouidius, Statius, Martialis, Silius Maximam sub Triumuiratu cladem tulit, Crema victoribus diripienda concessa, propter cuius vicinitatem una, magnam agri sui partem amisit: quamobrem inquit Virgilius:

Mantua veh miseræ nimium vicina Cremonæ.

Blondus etiam direptam tradit ab Athila, item ab Gothis & Longobardis nimirum ab Agiulpho, vt Paulus Diaconus scripsit. Alij pessimè habitam à Cancano Bauarorum rege, ac Vandalis, ac Alanis perhibent. Edidit vrbs hæc illustres, strenuos, ac eruditos homines quam plurimos, quorum eximijs uirtutibus, non solùm patria, sed uniuersa Italia decorata illustrataque re. Fuit ex horum numero diuinus ille Poeta Virgilius in vico Andis, qui nunc Petola dicitur, altero ab urbe lapide natus. Qui autem hoc tempore Mantuanam urbem celebres uiri illustrant, breui narratione recenseri non potest. Extra vrbem Mantuam alta lataque fossa cernitur, cùm ualido aggere millia ferè triginta colligens, & agri Mantuani partem concludens, quam Seralium uocant, triquetra figura, quemadmodum Volaterannus scribit. Fossam hanc ad urbis tutelam & munitionem Mantuani, anno post Christi Natiuitatem 1211. incipere, 1249. absoluerunt, ut perhibet Aequicola. Sunt in ijs septis, circa ripam stagni cum hortis amœnissimis & cultissimis, ac nitidis aruis, quæ & vitium perpulchros habent ordines, ædificia splendida permulta, religiosæque domus, inter quas monasterium Angelorum, familiæ Prædicatorum habitatio. Transito lacu, præclara mox apparet villa Marmiroli, à Friderico primo Marchione, magno planè artificio maiorique sumptu ædificata. Multitudineu opportunita-

temque

temque conclauium habet tantam, vt Principe uel Rege quouis excipiendo, pro tempore sufficiat. Locus hic arte mirabili factus, magistri uoluntate, tam repentè per abditos quosdam fonticulos, vndique prorumpentium aquarum copia perfunditur, ut qui intus sint, euadere prorsus nequeant, quin perluantur: opus meherculè summi artificij, nec minoris uoluptatis, præcipuè mensibus æstiuis, quum ad refrigeria maximè conuenit. Cingunt villam peramœni ac nitentes horti, fructiferarum arborum uarijs generibus ornati, cum pergulis uitium elegantissimis, quas autumnali tempore racemis, vuæ uariæ nobilis grauatas, spectare est.

REGGIO

P. Santa Croce

P. San Pietro

P. S. Stefano

P. Castel

P. del Secorso

REGIVN LEPIDI
VRBS NOBILISIMA
IN LOMBARDIA

REGIVM LEPIDI.

AD *sinistram Crustuli, qui uenit ab Apennino, & mittit in fossa Tarano, est Regium Lepidi. Sic enim à Strabone, à Cornelio Tacito, à Cicerone, & ab Antonino appellari consueuit. Tolomeus dicit Regium Lepidi. Prætereo id, quod Blondus, & Perottus de illius ædificatione senserint, & alij dixerint; & in eo cum Liuio insisto, ab Hetruscis primum ædificatam fuisse, & à Gallis Bois habitatam, postea uerò electis ipsis, à Lepido 2000. nouis incolis fuisse instructam: Unde Regium Lepidi nominatur. Cum Alaricus Rex Gothorum proficisceretur cum exercitu Romam, hæc urbs fuit destructa, unà cum reliquis Aemiliæ urbibus. Ex Italia tamen à Carolo Magno Longobardis expulsis, ciues, qui ad tuta loca se receperant, ut Gothorum cederent furori, eam iterum construxerunt anno 1314. murisque ornarunt. Huius habitatores urbis Regienses uocantur. Est hæc ciuitas nobilis, frequens, & humano uictui necessarijs rebus non carens. Optimum habet, ac fertilem agrum, qui frumento affluit copiosè, faba, hordeo, & alijs frugibus, albo etiam, ac rubeo uino. Hic est aeris clementia mira: Regius aer dicam. Qua ex re Perottus Regis nomen traxisse uidetur. Quibus Regium Lepidi paruerit, quosue ornatos uirtutibus pepererit uiros, an Leandro petes.*

FERRA-

FE RR ARA

P. de Angeli

P. San Gioan Batista


P. di San Paolo

P. S. Pietro

FERRARIA.

DE Ferraria dicant quicquid uelint alij, scilicet illius deriuare nomen ab agris incultis, & senticosis quos Frattas appellant, in quibus primum fuit ædificata, uel à quodam fabro ferrario, qui habitabat eisdem in frattis; uel à Ferat Noe nepote, uel à ferro, quod Ferrarienses quotannis Rauennati Ecclesiæ offerebant; ego cum Leandro affirmo Ferrariolæ Transpadanæ habitatores huic nomen imposuisse urbi. Theodosij Iunioris decreto, in Cispadana loca migrarunt hi, uocaruntq; illa Ferrariam. Nomen ibi non auditum antea. Hæc Ciuitas anno 595. à Smaragdo Exarcho cingitur muris à Vitaliano Papa, latè, longèq; distenditur, & à Constante Imperatore ornatur Episcopatu. Est ad Padum sita, qui eam, ut ab Oriente, & à meridie alluit. Aedificijs tam Principium, quàm nobilium virorum uidetur ornatissima, præcipuè uerò Deo dicatis, & consecratis templis: Crassus hic habetur aer ob paludosa loca. Ferrariæ non desunt illa, quæ humanis usibus, & commodis necessaria fatemur. Ager enim frumento affluit, uino, sed ignobili, hordeo, zea, & frugibus alijs, necnon omnis generis fructibus. Insunt in ipsa clarissimæ familiæ multæ, quæ opibus, potentiaque ualeat: Gymnasium etiam publicum à Federico secundo statutum. Illam Nicolaus tertius, & Hercules Marchiones Atestij miro quodam auxerunt modo, ædificijs, & opibus. Ad præstantissimam illam ecclesiam maiorem adiunxerunt alia etiam illustria templa, ædesq; Principe dignas. Paruit hæc ab incunabulis Imperio, Romanis Pontificibus, & Exarchis. Quarè contra Longobardos Exarchis nunquam non præsto fuit. Hinc ascribitur ipsa in numero ciuitatum Romandiolæ, quia scilicet Pontifices, ac Imperatores Romani eius in bello fidem semper sua experti. Est hodie, ob Alphonsi Atestij mortem, in Pontificis manu, anno MDXCVIII. De hac plura Leander.

PAVIA



TICINVM.

AD quatuor milliaria est supra fauces Ticini PAPIA, quam à Ticino flumine Ticinum vocat Strabo, Plinus, Cornelius Tacitus, Tolomeus. De huius initio vrbis uaria loquuntur scriptores. Ego tamen (inquit Leander) cum Plinio affirmo, fundatam esse à Leuijs, & Mauricis Liguribus, instauratam uerò (vt Paulus Diaconus testatur) & Eutropius, à Gallis Bois, & ab Insubribus. De Papiæ nomine ita Luitprandus ait. A Pape interiectione admirantis, hoc deducitur nomen. Quasi velit ciuitas ipsa hoc nomine ad se ipsam mirandum omnes allicere, quæ humano victui necessaria copiosè tribuit. Alijs placet hanc dici Papiam, quasi patriam piam. Asserunt verò alij ciues illam appellasse Papiam in gratiam Papirij Gallorum Regis nepotis, qui eam obtinuit anno 704. De huius ruina ciuitatis, deq; vario illius dominatu, & instauratione scribit Leander. Optimus est ager vrbi, ac fertilis, ex quo id, quod hominum usui facit habetur, frumentum scilicet, vinum, suauesque fructus. Quare Mediolani viridarium uocant. Non enim tantum hinc Mediolanum exportantur ea, quibus ad victum egent mortales, uerum etiam illa, quæ sunt in delicijs. Omnia ferè siluestrium animalium genera, pisces optimi, & huiusmodi plura. Quamplurimos illustres viros genuit Ticinum, de quibus Leander.

MIRANDOLA

Forte di s^to Martino il nouo

Forte nouo deto di s^to Antonio

SPIA NATA

Forte di s^to Martino

SPIANATA

SPIANATA

Piazza

P. di s^ta justina

Forte di s^to Michel il nouo

Porte s^to Michele

Fonte di santa justina il nouo

SPIANATA

MIRANDVLA.

IN agro Mutinensi, ad Campos Nacrios, temporibus Constantij Constantini magni filij, honestum, ac sanè urbanum MIRANDVLAE oppidum ædificatur. Huius auctor fuit Manfredus quidam, cum Euride uxore. Nominabatur prius Miranda, quàmuis hodie corruptè dicatur Mirandula. Olim hoc fuit paruum oppidulum, uel potius regiuncula, muris tamen, fossaq; præcincta. At hoc tempore usque ad nouum suburbium productum uidetur, quod quidem suburbium septum muris, cum reliquo coniunctum est oppido. Unde in unum Mirandula corpus redacta, honesti speciem oppidi, magnitudinemque ostendit. Agrum habet amœnum, magnaque frumenti, ac uini, & aliorum fructuum abundantium copia. Mirandulenses homines humani sunt, liberales, ac bellicosi. Est hic arx munitissima, in primis Italiæ arcibus numeranda. Cinctum est oppidum profunda, largaque fossa, necnon duplici muro. Ei præfuit olim, sicut & hodie, Picorum Illustris familia: Io. Franciscus Picus Mirandulæ arcem præclarè muniuit, atque totum oppidum ipsum, paruam etiam Insulam fecit, in qua uarias, & numerosas arborum species conseuit, quæ pluribus sæculis prosint. Hæc ex Leandro, à quo licet multa sumere de Mirandulæ origine, deque nobilibus eius familijs, ac uirtute præstantibus uiris.


LVCA.
LIBERTAS
Porta Sancta Maria
Porta San Donato
Porta santo Petro

LVCA.



VSCIA, nobilißima Italiæ Regio, trans Ausurem, LVCAM urbem in mediterraneis ostentat, Romanorum quondam Coloniam, Lucam Plinius, Antoninus, Ptolemæus, cæteraq; veterum scriptorum cohors appellat. Causam nominis in diuersum auctores trahunt: aliqui id acceptum ab scutis inauratis, qui summis imposita urbis turribus, splendore Solis illustrata ualde lucebant, nonnulli, cum prius Aringa diceretur, postea Lucam à duce quodam insigni denominatam, aiunt. Cato auctor est, à Lukio Lucumom prius Lucumodiam, dein, euphoniæ gratia, Lucam vocatam: vnde adhuc locus est, iuxtà conditoris ipsum nomen retinens: Alij, Lucum oppidum in ora fuisse olim ferunt, eiusque colonos Lucenses huc profectos, vrbem, quam condiderant, à se Lucam dixisse. Præterea uerò, & de nominis origine, & de vrbis primordio, uaria narrantur, quæ vti propinqua fabulis, aut exigui omnino momenti, referre non putauimus operæpretium: vnamque Catonis sententiam, præ cæteris probamus, nimirum, Auctorem Lucæ, tam nominis, quàm urbis, Lukium Lucumonem fuisse. Colonia deinde Romanorum deducta, post etiam à Desiderio Longobardorum Rege aucta, murisq; ex lapide quadrato cincta est. Iacet in planitie, non procul à collibus: ædificijs perhonesta: gens lauta, prudens, ingeniosa, ut, qui libertatem sibi diu sapientissimè conseruauit integram, etsi finitimorum bellis haud rarò fuerit petita. Lucam Strabo memorat, hac sententia. Vrbs est ad montes Lunæ incumbentes, ubi plerumque uicatim habitant: regio uirorum probitate floret, magnumque robur militare, magnam equitum multitudinem suppeditat, unde Romani, bellica, manus accipere solebant. Liuius etiam eius memoriam usurpat sæpe, nominatim uerò cum Annibalem in Ligures, Sempronium eodem tempore Lucam concessisse dicit. Frontinus T. Domitium Caluinum Lucam in Liguribus obsedisse scribit: non solum natura loci ac operibus, sed etiam

ualido

ualido militum præsidio munitam. Mentionem Lucæ & Agathius fecit Blondus in historijs tradit à Gothis possessam, mensibus senis oppugnasse Narsetem Eunuchum priusquam capere posse. A Facio Vberto in hanc sententiam describitur.

Incedentes vidimus orbe in modico
Turribus frequentem Lucam, instar nemoris
Et Prato Sercioque allui:
Lauta est tota, speciéque iucunda
Magisque foret, ni turparetur planctu
Qui annis iam amplius quadraginta pectus illi contraxit.
Vidi sanctam ciuitatem, & vultum sanctum
Audiuique vt ad preces Fidriani
Sertius in latus se conuerterat.
Fui ad Glaream, vbi Pisanus
Florentinum deuicit, quum oppressus est
Ioannes Vicecomes belli præfectus.
Vrbs hæc, qua de tibi loquor,
Aringa seu Fredia dicta creditur
Illo tempore quod antiquum æstimatur.
Sed quoniam illuminata fide
Prius fuit, quàm alia Tuscorum vlla,
Nomen immutatum, & Luca vocata.

Sic Facius, satis indicans postremis versibus, cum Lucam ait dictam, quòd prima ciuitatum Tusciæ,

fidei

fidei Christianæ lumen acceperit, Strabonem, Catonem, Liuium, Frontinum, alioſque ueteres ſcriptores, qui Lucam ſæpiſſimè nominarunt ante Chriſtum Seruatorem natum, ſe non uidiſſe. Luca quoque uocatur in mediterraneis à Ptolemæo: poſtquam à Narſete, ut diximus capta fuit, exin Imperatorum Conſtantinopolis opibus collapſis, principatum eius Bonifacius occupauit, qui Beatricem Henrici Imperatoris filiam habuit uxorem, & ex ea Mathildem filiam ſuſcepit. Ea Godifredo marito ſuperſtes hæresque in ampliſſimum imperium, & nominatim huius urbis, ſucceſſit. Deinde temporibus Honorij quarti Pontificis Romani ſuum ius, & poteſtatem ab Imperatore Cæſare Rodulpho, duodecim millibus aureorum nummum Lucenſes redemiſſe: Platina in uita Honorij quarti tradit. Poſtea tyrannidem nactus eſt Vgutio Phaſeolus; quo per ſeditionem popularium cum Nerone filio exacto, principatum mox adeptus eſt Caſtrucius Caſtracanus ab Vgutione carceri incluſus: ut ita uno momento ſimul ille pelleretur, ſimul hic uinculis ſolutus ex carcere ad principatum eueheretur: Caſtrucium Galeatius Vicecomes, Azoque eius filius Mediolani reguli, propter ſummam uiri uirtutem mirificè dilexerunt. Florentinis tota uita per quam infeſtus fuit, quorum copijs cæſis, ipſam quoque Florentiam obſidio ſic affecerat, ut expugnaturum omnino crederent multi, ni morbus, ex quo deceſſit, impedimentum iniecisſet. Piſam & Piſtorium ditionis ſuæ fecerat. Filios reliquit duos, qui ab Ludouico Bauaro Luca pulſi. Multa de Caſtrucio Blondus, D. Antoninus, Sabellicus, & Nicolaus Machiauellus Florentinus, in eius uita uernaculo ſermone ſcripta, prodidit. Eiectis Caſtrucij filijs, Germanica præſidia, quæ Bauarus urbi impoſuerat, Lucam Gherardo Spinolæ Genuenſi uendiderunt: eademque deinde Ioannes Bohemiæ rex, Petro Rubrio commiſit, Rubrius Maſtino Scaligero Veronæ regulo ceſſit, is uendidit Florentinis, qui tum menſibus nouem ea potiti. Hoc tempore quoniam Piſani plus ſibi iuris ad imperium eius eſſe, ex Henrici Imper. conceſſione putabant, urbem obſidere, donec tandem eſt tranſactum. Poſtea cum Imperator Carolus quartus in Italiam profectus, legatum Lucenſibus præfeciſſet Cardinalem quendam Gallum, is Im-

peratore digresso, ciuitatem iuri ac potestati suæ restituit, accepto precio vigintiquinque millium aureorum nummum. Ita cum exemptò deiectum Castellum, quod Castrucius ædificauerat, conseruataque libertas vsque ad MCCCC. à Christo nato annum: quo tyrannidem occupauit Paulus Guinisius Lucensis. Hic dominatu annis 30. fœliciſsimè potitus, ingenti opum vi accumulata, auro, argento, gemmis, pecunia multa locuples, & numerosa prole fœlix, gloria, fortunaq; & existimatione apud Italiæ proceres ampliſsimus, vt adeò non sibi solum ipsi, verumetiam alijs beatus, stabileque ac firmum, fundatumq; imperium habere uideretur, mutata subitò aura, spectaculum miserabile, & exemplum mortalibus insigne factus est, quo euidenter apparuit, in humanis rebus perpetui ommino esse nihil, oportereque reuerenter, & cum timore casus gerere. Tam igitur excelso in gradu fœlicitatis constitutus, quia Florentinis hostibus fauebat, cum quinque filijs impetu popularium uinctus, & Mediolanum ad Philippum vicecomitem Ducem ablegatus, tandem in obscuro, squalidoq; carcere cum liberis diem supremum expleuit, anno post Christi natiuitatem MCCCCXXX. ac ita dignitatem, opes, imperium, gloriam liberos, tot annis parta parataque simul cum anima perdidit. Profligatis Guinisijs, urbs uarijs agitata motibus, tandem uerò in libertate constitit, qua nunc tranquillè potitur. Multos genuit illustres, & præclaros homines, nominatim Lucium tertium Pontificem Romanum. Blondus etiam Alexandrum II. Volaterranus III. dixit: at utrumque falso: nam ijdem auctores alibi cum reliqua scriptorum cohorte, primum ex ijs Mediolanensem, alterum Senensem perhibent Erroris occasionem Blondo præbuisse, quod Alexander secundus Lucensium Episcopus fuit, ideoque Lucensis à quibusdam dictus est, non ob originem, sed præsulatum. Volaterrano autem uirium intulisse librarium arbitror: tertio I numerali littera; non rectè addita: Lucensis Episcopus D. Fidrianus, quem D. Gregorius Pontifex in Dialogis, Sercium cohibuisse Lucensem agrum infestantem, prodit: cuius rei adhuc supersunt uestigia: & Facius Ubertus etiam mentionem facit: Episcopum quoque Lucam B. Anselmum habuit, qui Comiti Mathildi à confessionibus fuit, & cu-

ius in

ius in D. Benedicti Podaliconis, agri Mantuani cœnobio diem functi, sancta ossa deinde Mantuam, in ædem maiorem delata sunt. Nostra memoria Lucam ortu nobilitauit Sanctus Pagninus, ex ordine Prædicatorum summus Theologus, & Latinè, Græcè, Hebraicè, Caldaicè, Arabiceque doctissimus, vt instrumenti utriusque uersio ex Hebræo, Græcoque in Latinum item Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, Grammatica Hebraica, Græcaque, ac alia multa litterarum monumenta, quæ reliquit, abundè testantur. Bibliotheca apud Franciscanos est copiosa, & elegans. Templum ornatissimum S. Crucis pilis ingentibus, choro pauimentoque marmoreo, in quo duodecim candelabra argentea. Summum altare D. Martino sacrum, in quo Crux aurea à Pisana Republica Lucensibus oppignorata, & redempta nunquam, quæ ualere fertur quindecim millia aureos coronatos.

SIENA


P. Romano
P. Tufi
P. San. Marco
P. Laterino
S. Fonte Branda
P. Santo Viene
P. Ouile
P. Camollia

SENA.

SENA, nobilis Hetruriæ ciuitas, Polybio teſte, à Gallis Senonenſibus ædificatà, & ueteranis militibus, quò uitam ibidem quietè finirent, adſcripta fuit. Iacet in colle præcelſis cincta crepidinibus tophinis, frequentia nobilium ædificiorum nitens. E' quibus Aedes maxima D. Virgini Matri ſacra, ſplendidis ac ſumptuoſis, quæ tota Europa ſunt, ſanis annumeranda, ſiue pretium marmoris, ex quo tota conſtat, ſiue excellentiam operis ac artificij, quo facta, ſpectes. Præterea ſunt ædes ampliſſimæ quadrato lapide ſtructæ, Pij ſecundi Pontificis opus, aliaque multa pernobilis ædificia. Eſt item ampliſſima domus hoſpitalis, miſerorum inſigne & periucundum refugium, Spatioſum ornatumque forum. Fons inſignis Branda ſemper nitentibus aquis copioſus.

Eſt hic denique omnium diſciplinarum Vniuerſitas, quamobrem excellentes uiri hic plurimi extitere, qui non modò patriam, ſed uniuerſam Italiam illuſtrarunt.

PERVGIA

S. Francesco

P. Sat. Angelo

P. S. Jane

P. Borgmi

P. S. Pietro

Rastelo

P. Sole

Monte luci

PERVSIA.



ERVSIA, primaria & mediterranea Hetruſcorum urbs, Ptolemæo, Straboni, Plinio, Liuio, Tacito, Appiano Alexandrino, Procopio celebrata: quam Stephanus, unam ex duodecim Thuſciæ principibus urbibus nuncupat, uulgò Perugia. Primordium eius, in diuerſum auctores trahunt: Quidam à Peruſio Troiano conditam, aiunt: Alij, à Perſeo, quæ Facij Uberti uidetur eſſe ſententia: Sed Leander diligentiſsimus rerum Italicarum perſcrutator: Ego, hercle, non uideo prorſus, inquit, ubi legerint iſti Peruſiam, à Peruſio Troiano, uel Perſeo denominatam, quamobrem, niſi auctores alios proferant, fide apud me carebunt. Nonnulli, ut Trogus, ab Acheis, duce Uibio, conditam, dixere, quod etiam inſcriptio marmoris adhuc apud portam Martiam extans, probat huiuſmodi. Uibia Colonia. Diuersè alij, Tirrhenos eius auctores memorant, ut Appianus Alexandrinus. Sed Marius Podianus, in oratione, quam coram Paulo tertio Pontifice Maximo cum Peruſiam acceſsiſſet, Anno à Chriſti Natiuitate MDXXXV. *habuit, aliter ex Catone, Beroſo Chaldæo, Myrſilioque Lesbio, ac alijs auctoribus urbis initia commemorat, cuius ſententiam & uerba, recenſemus in Indice. Sed nunc Peruſinæ urbis ſitum examinemus, qui huiuſmodi eſt. Colli inſidet Apennini, forma ſtellari, maiori parte agri fructiferis, & amœnis aſſurgente collibus, uini nobilis, olei, ficuum, pomorum, aliorumque optimorum fructuum, fertilibus, ſubter urbem, ad Aſsiſiam: item, ad Tuder uerſus, iuxta Tiberim, campi ſternuntur iucundi, tritico, cæteroque frumento copioſi. Natura loci urbs munita eſt, nobilibus ædificijs, cùm priuatis ciuium, tum cultui diuino dicatis, nitens, itemque nobili, ac largo fonte, qui medium urbis habet. Populus frequens, ac animis,*

mis, ingenijſque ſummis, nec minus ad litteras, quam arma promptus, vnde uſitatum Italis prouerbium, Peruſini ſuperbi, & buoni ſoldati,& la miglior ſpada del Papa. *Hinc, ob innatam Peruſinis magnificentiam, Bartolus in l. vt uim, ff. de iuſtitia & iure, nume. 10. hunc in modum ſcribit. Item nota, quod ſi poteras fugere, & non fugis; dico, Quod ſi tu es Peruſinus, qui times uerecundiam. Dico, quod optimè potes vſque ad actum occiſionis perſiſtere, quia eſt magna offenſa, & eſt verecundia. Sed, in illo qui non timet verecundiam; vt eſt Florentinus, in quo non eſt verecundia. Dico quod ſi non fugit (quod tardè euenit) punitur. Quia uerò, ob ſingularem aeris ſubtilitatem, ingenia, non Mineruæ tantum, ſed & Marti peridonea hæc ciuitas profert. Hinc, varias, temporum ſucceſſu, agitationes urbs Peruſina perpeſſa fuit. Eius initia, ducenteſimo & ſexageſimo, poſt vniuerſale diluuium anno, grauiſſimi auctores attribuunt. Aliquot deinde annis, Mons Solis ab Armenis Ianigenis. Gryphonijs, nouis eſt ædificijs auctus, Exin, creſcentibus in dies ædificijs, poſt Gryphoniorum aduentum, Pelaſgi, oliæq; græcanici nominis, gentes, in Italiam traductæ, auxerunt Peruſiam, eamq; inter prima Hetruriæ capita duodecim conſtituerunt. Liuius Peruſiam ſæpiſſimè memorat, nominatim, vbi Cæſarem ſcribit, cum eſſet annorum uigintiquattuor obſeſſum in oppido Peruſia L. Antonium, conatumq; aliquoties erumpere, & repulſum, fame ad deditionem compuliſſe, ipſique & omnibus ſuis militibus ignouiſſe, ſed Peruſiam dirutam: Scribit hoc quoque Florus in Peruſino bello: Item Appianus Alexandrinus libro quinto. Qui addit, cum diripere vrbem Cæſari in animo eſſet, tamen uictum Peruſinorum precibus ignouiſſe: Ceſtium uerò quendam cognomine Macedonicum, cæteris inſolentiorem, ædes ſuas, iniecto igne, cremauiſſe, tum, ventorum ſubita exorta ui, flammis euagantibus, vrbem deflagraſſe totam, præter Vulcani templum. Poſt hanc uerò cladem, breui urbem mœnibus ac partis, quæ nunc extant, Cæſar inſtaurauit, communiuitq;, ac Peruſiam Auguſtam appellari uoluit, vt literæ cubitales inciſæ portis oſtendunt. Poſterioribus ſæculis, in fide Cæſarum conſtanter hæ-*

ſit, uſque

sit, usque ad Totilam Gothorum Regem, qui annis septem obsessam, inopiam rerum omnium conflictatam, tandem cœpit, diripuit, incendit, vastauitq; magna oppidanorum cæde, crudeliter etiam necato Herculano, vrbis Episcopo, qui Germanus erat, cuius Martyrium D. Gregorius in dialogis lib. 3. cap. 13. describit. Ita tum in potestate Gothorum mansit, usque dum à Narsete, Imperatoris Iustiniani Duce, strenuo uiro, ad Calium Totila uicto, Perusia recuperata est. Post Narsetis obitum, Longobardi in Italiam profecti, eam occupauere mansitq; deinde sub imperio Longobardorum, usque ad Desiderium, Regem ultimum, quem Carolus Magnus deuicit, quo tempore, Perusini Imperio Romano restituti. Deinde, cum Ludouicus Pius, Caroli filius Hetruriam diuisit; Pontifici Romano Perusia, cum alijs aliquot Tusciæ oppidis, cessit, cuius in ditione ad hunc usque diem fœliciter manet. Quamquam aliquando, externa, ui distracta & ciuium inter se uarijs factionibus sæpè conturbata fuerit, ad Pontificis tamen ditionem semper redijt. Ac postremo quidem, post sæuissimas seditiones domesticas, sub Paulo, eius nominis Pontifice tertio, qui Perusiam uenit, & magnis honoribus, pompaque exceptus est: uti Marius Podianus, opusculo hac de re edito, pereleganter exponit: Exin urbs, in potestate Pontificis tranquillè fuit, usque ad MDXXXIX. *post Christi natiuitatem annum, quo ob impositum uectigal salarium à Pontificis auctoritate desciuit. Hinc utrinque, magnis belli moribus excitatis, externa planè auxilia desperans, ingenti cum damno, in potestatem Pontificis redijt. Ab eo tum datus præfectus est, Bernardinus Casalensis, Casalentium Episcopus, qui arcis initia posuit, cuius præsidio, ciuitas in officio, fideque, de cætero contineri posset. Ea arx, nunc perfecta, propugnaculis, muris, aggeribus, & machinis æreis ualdè munita, præsidioque firma, obedientiæ, unitatis, pacisque conseruatrix existit. Porrò, non tam larga Liberi Cererisque dona, non tam præclara ædificia, non tam fons ille limpidus atque perennis, quàm uniuersale Gymnasium, incredibili eruditissimorum uirorum turba, illustre, Perusinam hanc patriam exornat. Quod anno post Christi natiuita.* MCCXC. *florere cœpit, ijsdem priuilegijs ornatum, quæ in l. unica C. de professoribus, qui in*

urbe Constant. docent, meruer. comit. Constantinopolitanæ Academiæ tribuuntur, ut ad eam legem Bartholus probat, ubi &) alia celeberrimi istius Gymnasij priuilegia recenset. Hic Baldus Ius Ciuile professus est, tanta magnificentia, ac gloria, ut summus Iuris Commentator, &) terrestre quoddam numen, uocaretur: Ac ut id Gymnasium, non docendo tantum, sed &) scribendo, quàm celeberrimum redderet, eius denique nomen ad exteras quoque nationes transmitteret, librum de Repressalijs ibidem conscripsit. Postremò, legatione pro ea functus ad Carolum Imperatorem, prima priuilegia impetrauit, ut fatetur ad constitutionem ad Reprimendum. Iuris studia, in hoc Gymnasio, præ cæteris facultatibus, præcipuè florent. Videre quippe est ibi, uno eodemque tempore, septuaginta Iuris Doctores, quorum quinque &) viginti, ius continuò docent. Et fit, ut eadem hora, quatuor diuersi Ordinarij, vt uocant, tam matutino, quam pomeridiano tempore, vnam eandemque Iuris materiam, in concursu profiteantur, &) lectionibus finitis, de summis apicibus iuris, inter se digladientur ac disputent, &) omnia, quæ incidere possent dubia, adamussim examinent, cum maximo studiosorum astantium fructu. Ad hæc autem fouenda, &) conseruanda exercitia, magnis impensarum sumptibus, elegantissima sunt fundata Collegia, in quibus anno censu uitæ subsidia studiosis suppeditantur. Est collegium vetus, &) nouum, vulgò Sapientia vetus, Sapientia noua. Quarum illa, D. Gregorio Sacra, Episcopo loci, ut Prouisori. Hæc Priori Canonico Cathedralis Perusinæ, &) Consulibus Mercantiæ paret: Noua D. Hieronymo sacra, ædificata abs Episcopo Guidalotto, in qua fundatione perpetua, quatuor sunt studiosi Germani, quatuor Hispani, totidem Galli, &) vltramarini. Reliqui omnes admittuntur Itali: Eius fundator fuit Petrus Capocius S.R. Ecclesiæ Cardinalis, qui Fridericum Imperatorem schismaticum persequutus est, ut Platina in uita Gregorij noni perhibet. Sapientiæ Nouæ, meminit Aeneas de Falco, eamq; amplissimum Collegium nuncupat. In additionibus ad Abbatem Panormitanum in cap. ecclesia uestra, il secondo, in verbo, sanior. Vbi fatetur, eiusdem Sapientiæ se fuisse alumnum. Est &) aliud Bartholinum

Colle-

Collegium, recenti fundatione, ab eius appellatione Doctore aliquot studiosorum commoditati institutum. Sed istius Gymnasij magnificentia, paucis explicari non potest. Quemadmodum nec breui narratione Perusina ingenia, quæ non modò patriam, sed Italiam omnem illustrarunt. Prælectionibus modo, & frequentissimo auditorio inclaruit Ioannes Paulus Lancellottus, auctor Institutionum Iuris Canonici: Item Ranaldus Rodolphi: M. Antonius Eugenius, qui vltra triginta quattuor annos Ius Canonicum atque Ciuile professi sunt. Peculiare de hac vrbe præter Leandri in sua Italica Topographiam, edidit opusculum Marius Podianus orator insignis, quo singulare ingenij, eruditionesq; ornamentum, posteritati exhibuit.


VITERBO CITTA METROPOLI DELLA PROVINCIA DEL PATRIMONIO



VITERBVM.



DE VITERBI origine, uaria ſunt opinati ſcriptores. Id ex Leandro cognoſces. Aſſentiendum eſt tamen, ut ipſe ait, Arcadi Epiſcopo, à quo illud accepimus, eo eſſe dicerem Viterbum, quia Deſiderij Regis edicto tres ibi ciuitates muro clauſæ fuerunt. Cœleſtinus Papa III. Viterbum uoluit ciuitatem eſſe, unde illi Epiſcopum ſtatuit: Quod eius ſitum, pulchrò eſt poſitum, & ſpacioſo loco, poſtque dorſum habet iuga, & montes Ciminos, qui nunc Viterbi mons appellantur. Optimis ornatur ædificijs, in quibus eſt fons ille pulcherrimus, qui ſumma cum omnium uoluptate, maximam aquarum copiam fundit. Exierunt ex hac urbe plures ingenioſi uiri, qui propter ingenij ſuauitates illius tenuere principatum. Is eſt huius ciuitatis ager, quòd ea producit, quibus opus eſt mortalibus ad traducendam uitam, frumentum, uinum, oleum, & alias fruges, ac fructus. Adſunt hic fluuij multi, ac riui, in quibus expiſcantur optimi, ac ſuaues piſces. Non deſunt etiam calidarum fontes aquarum, & ſcaturigines miræ. Ad Leandrum pro reliquis mitto.


RIMINI
P.S. andrea
P.S. Bortolo
P. della Marina
P.S. Zulian
ARIMINVM VALIDVM
ET MVNITVM RO=
MANDI OLAE OPP.

ARIMINVM.



RIMINVM, Plinio Flaminiæ, siue Romandiolæ oppi. Rimine, incolis hodie; Leander, & alij scribunt. Rumelen, Germanis, ut Simlerus tradit. Cato, à comitibus Herculis conditam, ac etiam ab eo cognominatam ait: ad quem locum Amnius, Ar, uel Ari cognomen esse Herculis Aegyptij notat, eiusq; gentis lingua pariter, & hebræa Aram æaque denotare leonem. Immim uerò, teste Talmudista Samuele, Diuoque Hieronymo in uocabulo Himenus, ipse numerat festinantes, significare. Hinc Ariminum Aramæè esse id, quod latinè Leo, siue Hercules ipse numerans festinantes, nimirum ad expeditionem contra Tyrannos Italiæ; sic Amnius. Alij, nomen ab Arimino amne, quo alluitur, uolunt desumptum. Nonnulli, ab armario populi Romani, quod hic fuisse dicunt, ubi à bello reuersi Duces, Romamque redeuntes, arma deponere solebant. Sed posterius hoc, omnino Leandro non placet: Siquidem, ultra Rubiconem arma relinquebantur Strabo, Ariminum, uti, & Rauennam, Vmbrorum oppida fuisse quondam, simulque post, ijs eiectis Populi Romani Colonias effectas scribit, quod etiam confirmat Liuius, Ariminum, quo tempore & Beneuentum, coloniam deductam perhibens. Id Ptolemæi Lagi Regis Aegyptij temporibus, Pub. Sempronio, Ap. Claudio Coss. CCLXXXII. ante natum Christum, annis contigisse, auctor est Eusebius. Quidam hanc urbem, ab Octauio Augusto conditam, insigni errore, prodidere satisq; declararunt: Liuium se haud uidisse, cùm in eo loco, quem paulò ante retulimus, ubi Coloniam Ariminum deductam scripsit, ducentis amplus annis ante natum Octauium, tum alijs permultis, ubi honorificam urbis mentionem facit, maximèque Ariminenses inter eas IIXX. *referens Colonias, quæ bello Punico altero suis subsidijs, imperium populi Romani adiuuarunt. Plurimum sanè magnis operibus ab Octauio exornatum Ariminum, haud quaquam obscurum est: & præter cætera, pontem hic eximium,*

qui

qui in hodiernum usque diem, in amne Arimino, de quo mox dicemus, permanet: Itemque arcum fecit. Vbi ipsa implanitie sita imminentibus à meridie collibus amœnis, & uitium, olearum, ficuum, aliarumq; fructiferarum arborum, quibus conuestiti sunt, ubertate fœcundissimis: ab exortu, & Occasu, latissimè se campi pandunt admodum frumentarij: Septentrionale latus alluit Adria. Rerum omnium ad uitam utilium copia mirificè abundat, ædificia complura habet memorabilia, cum primis: insignem arcum triumphalem ab Octauio August. factum, ad portam quæ Orientem, & Pisaurum spectat, his inscriptum litteris:

Cos. SEPTIMO designat, Octauo M. V. celeberrimeis Italiæ vicis consilio Senat. pop.

Ita hæc alij descripta habent, sed incisa sunt hoc modo:

Cos. SEPTIM. Designat octauum V. celeberrimeis Italiæ vicis Consilio Senat. Pop. Ta. C. S. Vs. Nileis.

Dein alio loco hæc leguntur:

Imp. Cæsar Diui Iul. Fi. Augustus Pont. Max. Cos. XIII. Trib. Pot. XXVII. P. P. Murum dedit, Curante L. Turno secundo Aproniani Præf. Vrbis F. Acteio V. C. Correct. Flam. & Piceni.

Superest etiam pars Theatri ex latere cocto, ad mare uersus, summæ antiquitatis. Multæ quoque passim uetustæ inscriptiones leguntur; unde urbis antiquitas apparet. Palatia insuper quædam sumptuosa sunt, maiori ex parte à nobili Malatestarum gente condita: Quæ & D. Francisci construxit purissimo marmore incrustatum, in quo sacella duo, in quibus statuæ marmoreæ, ut non lapideas formas, sed humanos uultus existimes, opus conferendum antiquitati. Fonsq; splendidissimus in foro, dulces ac nitidas

proijciens

proijciens aquas. In hoc etiam foro ostenduntur bini lapides, quo in loco concionem dicitur habuisse Cæsar, cùm exercitum victorem à Gallijs reduceret. Item monumentum Antonij Patauini, vbi dicitur & ipse concionatus fuisse, & multos ad Christi religionem conuertisse. Ariminum in ditione Romanorum fuisse, quamdiu illorum stetit imperium, & Exarchis etiam paruisse, dein ijs sublatis, in potestatem Longobardorum redactum, illisque item debellatis, ad Italiæ Reges, denique ad Imperatores Germanos, & Malatestas, vti Cæsarum vicarios deuenisse, ex historijs colligitur. Ariminum ortu ingenia illustrauere plurima, nominatim Gregorius ex fratribus Eremitanis, item Petrus & Iacobus fratres Petroleonij, cum Græcis, tum latinis literis eruditissimi. Sed & præterea, qui Ariminenses fuere viri illustres, longum herclè foret recensere. Recentioribus temporibus inter doctos huius antiquæ vrbis famam, ac auctoritatem egregiè tuentes, est Petrus Meltius, uir eruditus, & curiosus. Iacent hic sacrata D. Gaudentij quondam vrbis Episcopi ossa, itemq; D. Victoris Martyris, D. Innocentiæ Virginis, D. Theodori martyris, Diuæq; Martinæ eius filiæ, item D. Arduini confessoris in Abbatia Gaudentiana.

IN PALATIO ARIMINENSI TALIS inscriptio legitur.

I Ariminum à Comitibus Herculis conditum, Cato de Originibus.
II Lucius Asaponius bonus ciuis deducit coloniam Ariminum.
III Ariminum in duo de viginti Rom. colonias subsidio Imperij pop. Rom. stetit.
IV L. Sempronius Consul, oram Italiæ legens Ariminum peruenit.
V Cai. Cæsar militibus præmissis, multis ad uehiculum iunctis, nondum illucescente die Arim. occupat.

VI Inter clariores,ditioresq; Italiæ ciuitates Ariminum à III. viris in prædam concessum.
VII Augustus Cæsar, quò vrbs facilius adiretur, Ariminotenus Flaminiam uenit.
VIII Vespasianus, & Titus Cæsar Arimini inuenere M. Aponum, & L. Tertalam CXXXXVII. vixisse.
IX Ariminum à Gothis obsessum,per Belisarium & Narsetem Duces Iustiniani liberatur.
X Concilium cui B.Hieronymus interfuit, celebratur.
XI In Ariminensi agro,in villa Galerij,locutus est gallus gallinaceus.
XII C. Cæsar Aug. F. Cos. vias omnes Arimini strauit.

SVLMONA.

OVIDII PATRIA
BRVTIORVM PELIGNE
REGIONIS OPPIDVM

SVLMONA.

SVLMO.

SVLMO Brutiorum, Pelignæ regionis oppidum, Solymum primo dictum fuisse, ex Silij lib. nono constat. Hodie Sulmona est, vt scribit Leander, patria lepidissimi Poetæ Nasonis, vt ipse testatur. Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis. Millia qui nouicis distat ab urbe decem. Sulmonem quoque Strabo uocat, itemq; Cato ac Ptolemæus. Plinius Sulmonenses retulit appellationis originem à Solymo esse ex Phrygia, testis ipse est Ouidius lib. 4. Fastorum his versibus. Huius erat Solymus Phrigia comes unus ab Ida, à quo Sulmonis mœnia nomen habent. Sulmonis Gelidi patriæ Germanicè nostæ. Me miserum Scytico, quàm procul illa solo est. Idem probat Silius de bello Punico secundo agens, his uerbis: Huic domus, & gemini fuerant Sulmone relicti Matris in uberibus nati. Mancinus & una nomine Rhetæo Solymus: nam Dardana origo, Et Phrygio genus à proauo, qui sceptra secutus Æneæ claram muris fundauerat urbem. Ex sese dictam Solymon, celebrata colonis mox Italis paulatim attrito nomine Sulmo.

Urbs est Sulmo in primis pulchritudine, frequentia populi, & aquarum abundantia nobilis, undique riuuli purissimarum aquarum perpetui, cum mirifica spectantium audientiumq; voluptate susurris iucundissimis admurmurant, hausto quoque pergrati. Mentionem eius præsepe facit Liuius, nominatim uerò, cum Annibalem ad Romam frustra copijs adductis, inde magnis itineribus mouisse scribit, & per Campaniam in Samnium, inq; Pelignos profectum, & per Sulmonem in Marrucinos, postea per Albanum agrum in Marsos, demùm, Amiternum, & ad vicum Forulum peruenisse. Duo sunt in agro Sulmonensi oppida, Pectoranum, & Vallis obscura, quorum utrumque amnem emittit peculiari alueo fermè ad Sulmonem usque accedentem, ubi tum alter alteri immersus, vnico flumine extra urbem per extensissimam planiciem, milliaque passuum sena latam, cursu ferme millium duodecim absoluto,

fon-

fontibusque & aquulis quibusdam prope populum haud mediocriter adaucti, tandem in Aternum se exonerant. Sulmonensium Antistes, Valuensis dicitur, quòd, vt Rassanus ait, ager Sulmonis cùm parte quoque vicinorum Valuanus, seu valua nominetur, qua una voce plura hoc situ finitima loca comprehenduntur. Ea de re Blondus scribit, iampridem annis fermè DCCC. amisso Pelignorum nomine, agrum hunc valuensem appellari cœptum, ideoque Romanam Ecclesiam, ita Sulmonensem Episcopum vocare. Causam uerò uocabuli nullum addit, quam Rassanus in hanc sententiam commemorat. Tractus omnis Pectorano, quòd supra Sulmonem est, itemque valle obscura, campo quinque millium, Cœnobio Sancti Spiritus, quòd à Sulmone millibus tribus, distat, vbi uitam solitariam D Petrus Moronensis, postea Cœlestinus quintus Pontifex appellatus, egit, nobili item oppido Populo, ad Sulmonem usque, ac item montibus duobus editissimis, Apennino Maiellaque circircumscriptus, & ita iugis illorum altissimis conseptus, vt aditum omnino, nisi per paucas ac difficiles arctasque fauces habeat, valua propterea dictus, quod per pauciſsimas tantum angustias aditum præbeat, tanquam per ostia, quæ Latinis etiam valuæ dicuntur: ideoque deperdito nomine Pelignorum, ager hic valua, ex conditione situque suo, uocatur.

NEPTV.

NETVNO

Monte Cirello

Pauola

Astura

Loglano

Fui

Astura

Pantano

Piaza e Palazo

Guardia

Porto d'anso

Torre d'anso

Strada Romana.

NEPTVNIVM.



ANTII aiunt excidium in causa fuisse, ut NEPTVNIVM oppidum exædificaretur à Volscis, ab ipso Antio duo ferè milliaria distans. Hoc instaurarunt columnenses, illius enim potiuntur ipsi. Non longè abest à Mari, quod cum sit glareosum, optimis abundat piscibus. Ardea huic proxima sedet, quam incoluerunt Rutuli. Syluestria hic habentur animalia plurima, circaque oppidum loca sunt multa, uenationibus, & aucupijs accommodata satis. Quibus in artibus non mediocriter se habitatores exercent. Ager huius magnam affert copiam frumenti, & vini. Hic olim habitarunt Mauri. Quo fit, ut qui hodie hoc oppidum habitent, similes illorum sint prorsus, nam isti, ut illi se uestiunt, comedunt, ac ornant domos. Quid Franciscus Guicciardinius, & Alexander Andreas in historijs, de hoc dixerint oppido, qui uolet, facile poterit uidere.

Ptolemæo longum est Neptunium
grad. 36. min. 30. latum
grad. 41. min. 20.


FANO
P. maggiore
Fiumisello
P. S. Iecnardo
P. Iulia
Rocca
P. da Marina

FANVM.

VRBS Piceni maritima FANVM in Adriatico ſinu ponitur inter Piſaurum, & Senogalliam, Metauro flumini propinqua. Hæc Romanorum Colonia fuit, vt Plinio placet, ac Straboni. Pomponius Mela vocat illum Faneſtrem Coloniam, quàmquam Hiſtorici omnes dicant eam Fanum fortunæ, uel Fanum tantum. Volunt nonnulli Fanum fortunæ dictum fuiſſe quodam Fano hic fortunæ à Romanis dicato, poſt victoriam, quam duce Furio Camillo de Breno, deq; ipſis reportarunt Gallis. His tamen Liuius non aſſentitur, nam dicit via Gabinia Romæ ad 8. milliaria, Gallos accepiſſe cladem inſignem, tuncque Camillum omnia Deorum Fana inſtauraſſe. Cæſar narrat ſe occupaſſe Fanum. Totila Rex Gothorum, vel, ut alij malunt, Vitigius hanc vrbem deiecit, ſicut & Piſaurum, Belliſarius verò eandem ipſam erexit. Fanum ex ijs arcubus habet unum ſatis magnum, qui ob Partam victoriam ponebant victoribus, miro artificio factum, in quo plures inſculptæ legebantur literæ. Illius modo ſummitas dehoneſtata conſpicitur. Hic Malateſtarum diutius regnauit familia, deinde Sfortiadarum. Hoc tempore illi Rom. Pontifi. imperat. Hæc illuſtria cœperit; ſicut & cæteræ Italiæ vrbes ingenia. Habet longitudinis 36. gradus, & 28. minuta: Latitudinis verò 43 gradus, & 19. minuta.



Vrbinum. piceni urbs. alto
In Monte inter albin siue
sapim.

VRBINVM.

VRBINVM, Piceni vrbs, alto in monte inter Albim siue Sapim, & Foliam amnes, cuius incolas, Plinius in sexta regione Vrbinates cognomento Metaurenses, vocat. A Strabone non commemorantur, vti nec à Ptolemæo, nisi fortè Suasse nomine, quam is inter Senones, prope Pisaurum in colle designauit. Vrbini mentionem facit Cornelius Tacitus, in belli Vitelliorum descriptione. Procopius ait, deditione captum à Belisario Iustiniani Imperatori duce, cum post diuturnam obsidionem fons vrbis exaruisset, quod prodigij loco habitum, vt Blondus Sabellicusq; tradunt. Diu Comitum Montis Feltrij ditionis fuit quibus Guido circa Bonifacium Octauum Pontificem Maximum rebus in Italia pro Imperatore Augusto præclarè gestis inclytus, imperium eius occupauit primus, quanquam multò ante tempore, maiores eius, potentes etiam in ea fuissent, ut item olim Imperante Friderico Aenobarbo, Oddus Antoninus, cui succesſere Galeatius, Guidantonius alter, Federicus, & Nulphus. Cæterum, sub Sixto, eius nominis Quarto Pontifice, ex Comitatu ad Ducalem dignitatem Vrbinum euehitur, ob præclaras Federici dotes eximiasque virtutes: Erat enim uir prudens, facundus, litteratus, & ingeniorum amator, bello fælix, pace carus; apud Italiæ Principes honoratus, à suis dilectus. Arx fuit extra Vrbinum munitißima, quàm Guidobaldus Dux, ne ipsius potentia inuidiæ esset, & populo, & finitimis, demoliri fecit. Nouam, vetere diruta, intra muros à fundamentis extruxit Federicus Dux, magis ad ornatum loci, & magnificentiam habitandi, quàm ad defensionem. Ea ædibus Episcopi, & templo Diui Dominici est contigua, ita ædificata.

cata, vt passit equo in turres, & ad tectum ipsum iri, quomodo Venetijs turris Diui Marci, & Romæ Pontificis palatium. Conclauia habet tercentum sexagintatres ampla, & magnifica. Ornat eam præcipuè Bibliotheca, libris optimis & multis referta, quos alij aureis vmbelicis, alij panno aureo, alij serico villoso obducti sunt, olim omnes argento aureoque ornati. Sed ab Alexandro Sexto Pontifice omnibus ornamentis spoliata, quam Iulius Secundus postea restituit. Multæ in ea Græcorum auctorum translationes, quæ impressæ hactenus non sunt. Porrò vrbs est Vrbinum lautissima, splendideq; satis ædificata, bono ac fœcundo agro, generosisq; fructibus abundante. Viros multos, quorum illustri fama plurimum celebratur, edidit, inter quos Seraphinus Consistorij Aduocatus, quem Blondus hominem prudentem, & doctum nominat. Raphael excellens Pictor, inclytis illis eruditorum commemoratione, laudeque veteribus haud impar, quæ eius per Italiam, maximeque Romæ in basilica Pontificia, iuxta Diui Petri uisuntur. Iuuenis obijt, trigintaseptem annos natus. Quod si peruenisset ad ætatem planè maturam, ac magis magisque heroico illi in arte Michaelis Angeli stylo, uti faciebat, se assuefecisset, nihil eo fuisset eminentius. Manum habuit longè elegantissimam. De quo tacere præstat, quam non ea, qua decet, reuerentia, loqui. Sed, si uis plenum de Raphaele iudicium, & omnium sententia, æquissimum uide longè pulcherrimos illos libros Georgij Vasarij Aretini, pictoris, & architecti, de vitis Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Italorum. Qui libri, Italica lingua sunt scripti; sed Raphael ille, numquam satis laudari potest. Iam, nostro etiam sæculo, singulare artis pictoriæ ornamentum hæc patria edidit, Federicum Baroccium, excellentissimum sanè tam penecilli, quàm styli ductorem, vt, & inuentorem, & factorem, magno nominis elogio, non tantum opera, quæ iam publica sunt, ipsum prædicent: Sed & Gualterus Florentinus exquisito libro hoc ipsum accuratè demonstret, quem de Brocij, Michaelis Angeli, Raphaelis Vrbinatis

natis laudibus, Italico idiomate conſcripſit. In quo, & de coloribus ijsque omnibus, quæ ad ſculpturam, picturamque exornandam pertinent, multa eleganter pertractat. Nunc Raphaelis Vrbinatis, Michaelis Angeli, omniumque totius Italiæ in pictura, celatura, ſculptura præſtantiſſimorum artificum ad uiuum expreſſæ imagines, opera ſummi illius, eadem in arte Magiſtri Henrici Golesij, quem tota admirabitur poſteritas, prodibunt.

VTI.


P.d.s Lazaro
P.di Gemona
Batiferro
P.d'Vilalta
P.d'Ciuidale
CITTA.D'
VDINE
P.d'Castellano
P.del bon Chiusa
P.d'Poscolle
S.Fran.
d'entro
P.s.Ronchi
P.di Grazzano
P.d'Cussiguanto
P.de Crisis
P.d'Aquilea

VTINVM.

AD maioris Tiliauenti ripam, latis in campis præstans Ciuitas Vtinum iacet. Non est certum quis illius iecerit fundamenta. Otho I. Imperator Patriarchis Aquileiensibus Vtinum donauit; ipsi tamen sedes non transtulerunt in eo, nisi Federici Secundi, temporibus anno 1222. Raymundus Turrianus Mediolanensis, Patriarcha in primis magnificam reddit hanc vrbem, in eam plurimas excipiens familias Mediolanensium, Romanorum, Florentinorum, Senensium, Bononiensium, Lucensium, Parmensium, Cremonensium, Veronensium, Mantuanorum, Tridentinorum, & alias è pluribus alijs locis plures. Quare adeo populus creuit, quod fuit coactus cingere suburbia muris, qui ei postea quadraginta stadiorum, siue quinque milliarium circuitum dederunt. Qui ambitus hodie manet. Hic idem magnificentissimus Patriarcha in ipsis muris perforauit duodecim portas, & à Turro flumine aquam duxit per duos canales proximos ciuitati, qui à duobus eius lateribus aquas ipsi toti ministrant. Lata conspicitur hic area, ad collis radices, in qua statis temporibus vna mercatores conueniunt ad tractanda negocia. Alia etiam reperitur area pulchra, quam diuersi coronant diuersarum opifices rerum. Hæc vrbs victui necessarijs rebus abundat. Aeris est hic temperies, quæ magnos ingenij homines in omni tempore producit.

Reliqua vide apud Leandrum.

Veneti hanc tenent.

TREVISO.


Honesto.
San Nicolo.
Il Giesu.
Casa di Bressa
Il Domo.
San Martin.
La Torre della Citta
Sancta Margarita.
San Paulo.

TARVISIVM.



TARVISIVM, *urbs clarißima Marchiæ Taruiſinæ, Gothicis celebrata hiſtoriis, quibus traditur, Totilæ patrem Veronæ Taruisiiq; imperium tenentem huius urbis ſitu captum, in ea domicilium ac ſedem habuiſſe, filiumq; Totilam, qui poſtea regnum Oſtrogothorum adeptus eſt, hic in lucem editum, educatumque. Deletare Gothica Longobardorum Regem Alboynum, cum in Italia ueniſſet, Aquileia cum cæteris huius regionis urbibus in poteſtatem redacta, quoniam non tam citò, uti uolebat, Taruiſinorum Legati ad imperia ſuſcipienda occurrerant, urbem diripere, & uaſtare incendio decreuiſſe traditur; ſed victum ueneratione Felicis urbis Epiſcopi, mitigato ſic barbarico furore, ueniam, & pacem conceßiſſe. Deinde ſedem hic Longobardi poſuere Marchionum, unde regionis uniuerſæ nomen Taruiſinæ Marchiæ profluxit. Poſtea Taruiſium Opitergiumq; ab Rotare Longobardorum Rege ſubuerſum, ſcribit Paulus Diaconus. Facta re Longobardica, quemadmodum Italiæ ciuitates reliquæ, ſic etiam hæc in Imperatorum & Italiæ Regum ditionem conceßit: dein autem in ſæuiſſimi tyranni Actiolini poteſtatem uenit, inde in Richardi Caminatis, quem opibus ac potentia plurimum hac regione pollentem, urbis Procuratorem ab Henrico VI. Impera. auctoritatem ſibi ſummi Imperij reſeruante concuncta geßiſſe. Bello etiam, cum Aquileienſi Patriarcha dimicaſſe, Candidus, & Amaſeus memoriæ prodiderunt. Sequentibus ſeculis Taruiſinorum potiti Carrarienſis, Scaligeri, poſtremoque Veneti Anno à Chriſti Natiuitate milleſimo tercenteſimo octuageſimo octauo nempè, per conditiones pacis, quæ tum inter Ioannem Galeatium Vicecomitem primum Mediolani Ducem Venetosque, & Maſtinum Scaligerum facta eſt: Exin itaque fidem Veneti nominis urbs hæc mirificè coluit, etiam ijs ſummis temporibus Ripaltanæ cladis: quamuis enim tum omnes propemodum urbes, & oppida continentis è Venetorum ditione Principum aliorum im-*

peria capesserent, hæc tamen nunquam pristinum mutauit. Perculsos quidem insigni calamitate Venetorum, hostiumq; mirabili fœlicitate Taruisinos, quia militum præsidia habebant, nulla, nec etiam auxiliorum spes videbatur, consilium fecisse, dedendi sese Maximiliano Cæsari, si fortuna prorsus urgeret, cæterum post alia deinde multa consilia spiritus ac fiduciam resumpsisse, potiusque suprema omnia statuisse pati, quàm imperium mutare. Interea uerò Venetorum auxilijs summo cum gaudio acceptis, ita diligenter urbe permunitareque frumentaria instructa, pristino se in statu conseruasse, tum Andreas Mocenicus in historia sua; tum Leander in Ephemeridibus latinis perscripserunt.

Urbs est Taruisinum rebus ad usum humanum utilibus, imprimis affluens, copia namque frumenti, uini, cæterarumque frugum, & pecuaria re maximè abundat. Triticum agri eius candidissimum reddit panem, summaque uino nobilitas. In urbe, præter amnem Silem, quo perluitur, fontium scatebræ permultæ, claris aquis, & tam aspectu iucundis, quàm potu admodum suauibus emicant: ædificia quoque splendida quamplurima sunt, gens perhonesta, lautaque, sublimibus & uiuidis ingenijs, tàm ad litterarum disciplinas, quàm opes quærendas, aliaque luculenta studiorum genera promptissimis.

PALMA

FORIVLII ITALIÆ ET CHRIS·FIDEI PROPVGNACVLVM * IN HOC SIGNO TVTA

PALM

P. d'Vdene

PASCALE CICONIA DVCE VENETIAR ET CAP·DNHLS 93

P. de Goricia

P. dela Marina

NOVAE PALMAE CIVITAS;

ANNO SALVTIS MDXCIV.

A' SERENISSIMA VENETORVM REPVB.

AEDIFICATA.


PALMAE *nouæ Ciuitatis typus, quæ in patria Forojulienſi à Venetis ædificatur ad Maris Adriatici oſtium, quod fuit præteritis ſæculis Italiæ calamitatibus quaſi fatale. Nam barbaræ quæcunque nationes illac, ad Prouinciam hanc vaſtandam, & ſubigendam ſibi aditum fecere, & Turci ipſi pluribus excurſionibus olim vicinas regiones uexauerunt, quibus non erit illud in poſterum, per gratiam* DEI, *tum facile. Nouem habet propugnacula, quæ à ſe inuicem diſtant ducentis paſſibus circa, hæc plateæ circulares ac latæ pro ordinanda acie, & mœnibus defendendis. Foſſæ, aquis inſtructæ, quæ eam ambiunt, largæ ſunt paſſus triginta, profundæ duodecim. Portas habet tres, & areas ſpatioſas nouem. Viæ, ex propugnaculis ad centrum ſunt, in quo Turris munitiſſima, ciuitatis ſubſidium. Habet diametrum ſexcentorum paſſuum.*

Nomina

Nomina Propugnaculorum.

1 *Sancti Fortunati.*
2 *Sancti Hermacori.*
3 *Sanctæ Crucis.*
4 *Sancti Laurentij.*
5 *Sanctæ Iustinæ.*
6 *Sancti Stephani.*
7 *Sanctæ Mariæ.*
8 *Sancti Clementis, &c.*
9 *Sanctæ Euphemiæ.*

Forma nummorum ex omni metallo, sub fundamentis huius Propugnaculi positorum:
Anno reparatæ salutis MDXCIII.



SERA-

SERAVAL

SERAVALVM CELE=
BERRIMVM MARCHI=
AE TARVISINA IN=
AGRO FORO IVLIEN=
IS PPO.

SERAVALLVM.

MARCHIA *Taruiſina pernobilis, & lauta Italiæ Regio, ditiſſimis oppidis urbibuſque ſplendidiſſimis nitens,* SERAVALLVM *etiam, celebrem armorum bellicorum officinam, pannorumque, uini ac frumenti negotiatione inclytum emporium, exhibet. Situ tam amœno ac nobili præſtans, ut incolæ, loci amœnitate capti, uſq; adeo diuerſis temporibus accreuerint, ut ter neceſſe fuerit mœnia dilatare, quæ nunc bis mille & quingentorum paſſuum ſpatium complectuntur. Qua parte ad Septentrionem ſpectat, perpetuos habet montes, per quos Germani Serauallum, emporium illis gratiſſimum frequentant. Vina enim hic inueniunt & emunt optima, ſuasque merces permutant, equos, boues, fila, metalla, &c. A duabus uerò partibus, qua in meridiem Venetias uerſus, quaque in Orientem tendit: latiſſimam habet planiciem, elegantiſſimis collibus diſtinctam; unde non ſolum uina, ſed & frumenta uberrimè colliguntur, non tantum ad incolarum uſum, ſed ab ſubleuandas etiam neceſſitates Alpenſium, hominum, qui in Cadubrij iugis, & in Tyrolenſis comitatus parte, duram uitam, aut metallis fodiendis, aut lignis ſecandis, tolerant. Ad Occidentem, colles etiam habet uinetis, & oliuetis ornatos. Omnibus autem ex partibus, paſcua pinguia, tam in campis, quàm in montium uertice, frequenteſque lacus ac ſyluas, ut nec uenationes, nec piſcationes, nec aucupia iucundiſſima deſint. Illud uerò in huius oppidi ſitu memorabile, quod, qua parte planicies eſt, nullo ſit expoſitum uento, qua autem montibus accliuè, perpetuos, quaſi uentos, ſentiat, ita, ut natum ſit hinc uetuſtum apud Italos Prouerbium:* Perda chi vuol, che Saraual hà vento. *Hic autem permeans ventus, ſanitati conſeruandæ conducit, aerem quippe perpurgat, ut ab hominum memoria auditum non fuerit, Serauallo, uel peſtem, uel contagioſi morbi luem, noxiam fuiſſe. Hoc igitur oppidum in ea Regione Taruiſinæ Marchiæ ſitum, quæ in foro Iulienſi patria, olim cenſebatur in diœceſi*

Cenetenſi,

Cenetensi, eos montes claudit, quos antiquitas Opiterginos vocitabat, nunc Christiana religio, pia nomina dedit S. Augustæ, & S. Antonij, quibus sanctis, illis in montibus templa posita sunt. Et quidem Augustæ virgini ac martyri, ualdè celebre, cuius ossa ibi posita, uenerantur proximi & exteri, peregrinationesq; suscipiunt, & votiuas tabulas ponunt. Calendis Augusti, frequentissimus populi ad eam Basilicam concursus, quando, & celebres sunt opidi nundinæ. In ijsdem montibus arces sunt antiquissimæ, quarum tamen vestigia non adeo diruta sunt, quin declarent, magnos ibi Principes præsidium sibi tutissimum, & habitationem ualdè commodam collocasse, ex quibus celebratur adhuc Matrucus Foro Iulienſium Rex, D. Augustæ pater, rebus gestis clarus, nisi mors filiæ, ob Christianam fidem illatam, omnes ipsius laudes denigrasset Opidum, vna cum alijs finitimis, Imperatorum donatione ad Ecclesiam Cenetensem pertinebat. Sedes deinde fuit Regulorum Caminensium: (quæ familia tunc computabatur inter quinque totius Italiæ nobiliores:) ex quo loco vicinis populis, qui sub eorum imperio erant, iura dabant. Ricarduſq; qui ex ea familia ultimus fuit, in eodem opido quiescit, in Monasterio D. Iustinæ, marmoreo sepulchro, valde illustri, quod quatuor eius aulæ primates, iuxta corporis & vultus imitatione, sustentant, & latera, historijs eodem marmore diligenter sculptis, ornantur. In summa autem parte marmoreum cadauer iacet, stantq; ad singulos angulos quatuor Episcopi, & vxor ploranti similis. Nunc Veneti opidum possident, molli quidem imperio, & suaui. Nam Senatorem mittunt cum Prætorea potestate, qui iustitiam administrat, & vectigalia curat. Reliquum, quod est publici regiminis, apud illas familias manet, ad quas antiquitatis & nobilitatis priuilegio, pertinebat, imminuto tamen iure, sic exigentibus publicis rationibus: quibus priuata commoda cedere æquum est. Illæ familiæ XIIII. iam sunt, aut XV. eliguntur q; ex ijsdem XXXV. viri, quibus tota Reipub. administratio incumbit. Illa Seraualli pars, quæ in montibus est, rarioribus ædificijs conspicua est, in reliquo corpore, frequentia sunt, & splendida. Medium interfluit Mesulus, limpidissimus amnis & piscosus, truttas, lupos, capitones, anguillas, cancros suppeditans, ab Italicis Latinisque

Poetis

Poetis celebratus, duobusq; lapideis pontibus constratus. Populus religioni deditus, ingenioq; ac industria impiger, & ad magnas res aptus, nisi ciuiles simultates, quas truculenter exercet, animos ab honestioribus studijs plerumq; alienaret. Sunt tamen, fuerintque omni tempore viri, doctrina, omnique uirtute clari. Nam genuit illa patria, ut antiquos omittamus, M. Antonium Flaminium, Andræam Minutium, Archiepiscopum Iadrensem omnibus scientijs, summaq; prudentia præditum. Minutium etiam de Minutijs, Hieronymi Minutij filium, Protonotarium Apostolicum, qui etiamnum natale solum, virtute, doctrina, & prudentia singulari illustrat, quem amplissimas legationes apud Pontificem, apud Hispaniarum Regem, apud Germaniæ Principes subire, & secundò grauissima Gregorij XIII. negocia, magna cum laude ac gloria curantem, anno MDLXXXIII. Coloniæ Agrippinæ vidimus, & amplissima, ab eis loci Senatu, oblata munera, delatosq; respuentem honores, admirati sumus. Inde Romam reuertens, in Hispaniam ad Regem Catholicum destinatur legatus. Qua quidem legatione magnificè gesta, Monachij in elegantissima Bauariæ vrbe domicilium fixit, & Serenissimi ac Reuerendissimi D. Ernesti Archiepiscopi Colonien. &c. initimus: Necnon Serenissimi Domini Guilielmi, utriusque Bauariæ Ducis, primarius, consiliarius. Nunc Romæ residens, Clementis VIII. Pontificis Opt. Max. Secretarius, singulari industria, & maximis laboribus res magnas administrat. Edidit insuper Serauallum Ioannem Plazzonum Philosophum, ac Poetam insignem, qui erudita opera scripsit, quæ tamen publicis literarum monumentis tradita non sunt, ut Epistolas familiares, perelegantia de Agricultura, alijsq; argumentis, poemata. Habuit etiam semper, habetque nunc Iureconsultos clarissimos, quorum opera Veneti, varijs in magistratibus sæpè utuntur, & uicini populi grauioribus in causis consilium ab illis quærunt, & patrocinium. Cæterùm gens, suapte natura armis potius dedita, quàm literis, nec mirum, cùm in tota Europa nullus locus sit, ubi arma parentur, quæ magis excellant occulta quadam Mesulæ aquæ, ui. Itaque Serauallenses gladij, magno cum quæstu, non per Italiam solum, sed in Germaniam, in Galliam, inque ultimos Britan-

nos perferuntur. Ac degunt Seraualli exteri Mercatores, qui fabros magnis sibi stipendijs deuinciunt, solùm, ne operam suam alijs locent. Serauallenses etiam acinaces, apud Illyricos, & Turcas magno in precio habentur, illamque gladiorum famam Serauallenses olim, forti non minus, quàm faceto dicto, vsurparunt, contra Ezellinum, qui capta Feltria, & Bellonensi ciuitate, oppidanos exemplo illo ad deditionem sollicitabat; Illi verò responderunt, loca ab ipso capta, syluestria pira gignere. Serauallum autem enses, quorum aciem in se suorumq; viscera experturus sit, si accedat, successusq;, audacia uerba, subsequutus est. Nam Ezellinus bis repulsus, magna suorum strage, tandem aufugere coactus fuit. Serauallensium fidem, ac fortitudinem laudat Sabellicus, loci pulchritudinem, & amœnitatem Leander, & alij passim commendant.

Sunt in Marchia Taruisina alia etiam oppida insignia, Opitergium, antiquitate & Episcopali sede iam Cenetam translata, clarum, Coneglanum, Germanis, ob vini præstantiam, notum. Asula, vetustate ac agri amœnitate nobile. Bassianum, cuius mulierculæ ob præstantissimi fili bissici trahendi peritiam, commendantur Citadella; Portus Buffoletus; Motta, &c.


PADOA
Il Portello
Porta di ponte Corbo
P. di S. Croce
P. di Sarasinesca
Il Romito
P. de Saonarora
P. di S. Giouanni

PATAVIA.

PATAVIVM *opulentißimam olim Italiæ urbium (vt Pomponius uocat) multis ante Romam ſæculis condidit Antenor, & in ſociorum gratiam ab eiuſdem nominis Paphlagoniæ oppido denominauit. Viribus eouſq; ualuit, ut Lacedæmonium Cleonymum Græcorum ducem, infeſta claſſe ex agro Patauino prædas agentem, fugauerit, cæſis militibus, captis incenſiſq; inſigni victoria nauibus: & Strabo quidē lib. 3. & 5. affirmat ſua ætate quingentos equeſtris ordinis uiros, nullibi in Italia præterquam Patauij cenſos fuiſſe: & retroactis annis* CXX. *militum millia nomen bellicis delectibus dediſſe. Ante Hannibalis in Italiam aduentum, ſocietatem cum Romana Repu. Venetia vniuerſa contraxit: & cum ciuilis diſcordia in bellum inteſtinum eruptura Patauinos agitaret, anno ab V.C.* DLXXVI. *M. Aemilius Cos. Roma huc ad ſeditionem comprimendam aduentauit. Ciuitatis poſtea Romanæ participes curiam irruperunt, ut loquitur Tacitus Annal. lib. xi. imperio dein Romano uigente Patauium ſtetit, & eodē inclinante labare, & natare cæpit. Alaricus enim Gothorum Rex anno Domini circiter* CCCCIX. *hanc urbem afflixit. Quater deinceps diruta, & ſolo æquata eſt, ab Attila primum, deinde à Totila, tum ab Agilulfo, poſtremo ignium ui Anno Dom.* MCLXXIV. *Procedentibus inde temporibus principem ferre locum inter cæteras Venetiæ urbes obtinuit, ita ut ipſis etiam Imperatoribus aliquando reſtiterit. Tyrannide Ecelini de Romano per undeuiginti annos miſere deformata in Carrarienſium dominatum diuturniorem incidit: quorum locum ab anno* MCCCCV. *obtinuit Sereniſ. Ven. Reſpub. & licet anno* MDIX. *Maximilianus Imperator Patauium occuparit, paucis tamen interiectis diebus inde reiectus, Patauini ciues ſub tam clementi dominatu fœliciter hucuſq; conquieuerant, & faxit Deus, ut diù conquieſcant: & ne qua uis hoſtilis in poſterum ingrueret longe ualidiſſimis*

propu-

propugnaculis Patauium munitum est: præter illam antiquioris operis murum, qui Medoaco circum undiq; labente uallatus, manuariæ oppugnationi olim inexpugnabilis fuit. Aedificiorum pulcherrima sunt Palatium ubi Ius dicitur, Templaq; D. Antonij, & Iustina. Priuatorum domos, & uiridaria consulto prætermittimus. Patauinos item ciues T. Liuium, Ascon. Pedianum, Val. Flaccum, Stellam, Iul. Paulum, & alios. Incolarum hodie (damnosa quid non imminuit dies?) triginta octo millia censentur: eaq; in Paræcias unam supra triginta commodè distribui possunt. Præterquas uirorum Monasteria duo & uiginti, mulierum duo amplius numerantur: omissis Oratorijs tribus, Collegio Societatis IESV, Sodalitijs sacris tribus & uiginti, Xenodochijs, amplissimo Nosocomio, Brephotrophio, & Orphanotrophio insignibus. Adest insuper Gymnasium omnium disciplinarum, & Hortus publico ministerio cultus, ijsq; herbis & arboribus consitus, quæ inuenta difficiles Medici usui esse possunt. Ager Patauinus totius Venetiæ sumen, Venetiarum horreum, Cella Penuaria, & ut uno uerbo dicam suburbanæ deliciæ, alit capita CL millia; cõtinet camporum fertilium millia sexcenta, per pagos CCCCLXXXVII. dispertita. Aponi balnea quinto ab urbe lapide posita, celebrat insigni carmine Claudianus. Euganeos uerò colles Apono contiguos, Martialis lib. 4. & 10. laudat, & tacito præconio laudauit acerrimi ingenij uir Franciscus Petrarca, qui peragratis insignioribus Europæ locis hic tandem domicilium posuit, & supremum obijt diem: in Arquadæ scilicet uico, ubi exteri homines Monumentum, Villam, Fontem, & quædam reliqua ex eiusdem suppellectili frequentissimè inuisunt. Lanæ autem agri Patauini Iuuenalis encomio celebres, etiamnunc optimæ sunt: & ideo lanificium, quod etiam ævo Strabonis præcipuum Patauij fuit; absumit hodie centum uiginti annua ducatorum millia. Sericiq; mercatura hic ita frequens exercetur, ut in bombycinis sollicalis octuagena ducatorum millia, quot annis impendantur.

VIN.

VICENZA

L.a Madona da Monte

P. da Monte

P. dela Lupia

Camp Marco

P. da Padoa

P. dal Castello

P. Nova

P. di Santa Lucia

P. di Santa

P. di san Bor.

IACOBVS
MONTICVLVS
INVENTOR.

VICETIA
VENETIAI
VRBS NOBI
LISSIMA fo
ET ANTI
QVISSIMA

VINCENTIA.

VINCENTIA, ampla & magnifica Marchiæ Taruisinæ vrbs, sita iuxta radices collis, duobus amnibus diuisa, de cuius origine, non multa nec singularia historiarum monumenta perhibent, præter quàm apud Paliarinum. Qui in Commentarijs refert, aliquos tradidisse, Vicentiam, hunc locum dictum, ob gentis incolæ victoriam, cæsis hostibus, aut à centum vicis, qui prius hic extitere, quorum habitatores vnum in locum collecti, ciuitatem hanc primum effecerint. Ità Paliarinus. At, quia nullum auctorem certum profert, addent his, uel dement fidem, legentes. Vicentiam Tacitus memorat, item, Antoninus in Itinerario, Plinius insuper & Ptolemæus in Venetia; Trogus, à Gallis conditam scripsit, cum Verona, Mediolano, ac alijs vrbibus. Leander autem primos eius auctores Thuscos existimat, his verò eiectis, à Gallis instauratam, uel auctam. Nonnulli, Veicetiam dicendam, contendere marmoris cuiusdam argumento, in quo hæc inscriptio sit reperta:

SEX. ATTILIVS M. F. SERANVS PROCONS. EX SENATI
CONSVLTO INTER AETESTINOS, ET VEICETINOS
FINES TERMINOSQVE STATVI IVSSIT.

Ità Barbarus in Plinianis castigationibus refert, addens, eum sua memoria lapidem inuentum. Alia tamen hæc res auctoritate non constat, neque quisquam luculentus scriptor, Veicetiam, sed omnes constanter; Veicetiam, nec etiam, uti nunc vulgus indoctum, Vincentiam dixere. Est autem ædificata peroptimè ac splendidis operibus ornata, inter quæ, Prætorium fori magnificentißimum, cœnobiumq; D. Coronæ

Soda.

ſodalium Prædicatorum,in cuius fano ſacratiſsima ſpina conſeruatur,ex corona Seruatoris Chriſti,quam hoc ex Gallia Bartholomæus Vicentius vrbis Epiſcopus, ex ordine Prædicatorum, attulit, cui abs D. Ludouico Franciæ Rege fuerat donata.Colunt hanc ſpatium Vicentini præcipuè,deferturque,quotannis per vrbem,cum maximis honoribus Cœnobium hoc etiam pernobilem habet bibliothecam. Porrò aquis Vicentia benè inſtructa eſt,duobus enim amnibus nauigabilibus diuiditur,non tamen æqualibus partibus, Bachilione nimirum & Rerone,qui ex vicinis montibus in ipſa vrbe Bachilioni iungitur.Aeliano,Eretenus,in animalium hiſtoria dictus,quem optimas totius Italiæ anguillas habere perhibet Bachilio quoq;, Teſsinam amnem excipit,ita Plinio dictum,Abundat urbs hæc, maxima rerum omnium ad uitam utilium copia propter ſummam agri amœniſsimi vbertatem,qui frumenti,uini,cæterarumque frugum maximè fertilis eſt.Tanta cum in ipſa urbe,tum in agro,mororum arborum,quarum frõde bombyces aluntur,frequ ntia eſt,vt ſummam habeant admirationem.Roma ferunt alba,quamobrem hoc ſericum non ita eſt robuſtum,ac illud,quod uermes genuere,foliis earum arborum nutriti,quæ mora nigra producunt. Vberrimum hinc quæſtum Vicentini faciunt Gens,ingenijs viuidis, fiduciæque magnæ, promptiſsimi ad literas,militiam,mercaturam,lautè admodum viuunt,honeſtèque ueſtiuntur,ac perpetuò in re facienda deſudant.Ciuitas hæc ex illis duodecim Hetruſcorum cis Apenninum,una eſt, quam pulſis deinde Thuſcis, Galli habuere.Gallis à populo Romano domitis,in eius exin fide,perpetuò ſtetit,uſque ad Attilæ tempora,vaſtatam enim & direptam ab illo, Paulus Diaconus perhibet. Poſt hæc in Gothorum, itemque Longobardorum poteſtate fuit,vti ex eodem auctore diſcitur. Deuictis auteu Longobardis, captoque illorum Rege Deſiderio, Caroli Magni bello, Vicentia ſub imperij Romani nomine manſit. Regibus parens,quos Carolus Italiæ præficiebat.Hac conditione fuit uſque ad Berengarios, cæteroſque tyrannos, qui Italiæ Regum nomen vſurparunt,ijſque paruit,donec imperium Romanum uindicauere Germani. Sub his,cæterarum Italiæ ciuitatum exemplo, in iure ſuo liberè (Romani ſcilicet imperij nomen præ ſe ferens)

agere

agere cœpit, Carrotio fabricato, creatisq; sibi Antianis & Prætoribus annuis, fœderaq; cum alijs populis, vti ferebant tempora, feriens. Ea Reipub. forma durauit, vsq; ad Fredericum II. qui fraude urbem ingressus, anno MCCXXXVI. eam direptam, incendio cremauit. Deinde, uariam fortunæ aleam subijt, usque ad annum MDIX. quo Veneti ea potiti sunt, cæsis eorum ab Ludouico XII. Franciæ Rege copijs. Vicentini, quoniam defendendi sui, contra Veneti nomini hostes: nulla ratio supererat, Maximiliano Cæsari se dedidere. Maximis autem exin vsq; ad MDXVI. à C.N. annum, calamitatibus vexati sunt. Nam, quia non satis munita erat urbs, nunc à Venetis, nunc uicissim ab Hispanis capiebatur, vt modò Venetorum imperium, modò Maximiliani Augusti, tanquam per ludum sumeret, ponereq;. Quanquam autem interea per sæpè summo indiscrimine esset, ne cremaretur deleturq; funditus, numinis tamen diuini benignitate supremum casum euasit. Ad extremum, Verona, Brixiaq; Venetis restitutæ, simul in eorundem ditionem, uelut ad iucundam quietem, & sacram ancoram, ipsa quoq; confugit, moxq; ad sua reuerentibus colonis, etsi iam tum penè deserta uidebatur, paulatim adeo refecta, restauataq; est, ut iam detrimenti habuisse non uideatur quicquam. Nati hic uiri illustres plurimi, quorum ortu, maximè nobilitata urbs est. Fuere ex his Aulus Cæcina Imperatoris Vitellij Legatus, & Cons. Romanus, uti è Cor. Tacito discimus. Item DD. Fortunatus & Fælix martyres, qui sub Imperat. Maximiliano floruerunt Aquileiæ, præterea B. Ioannes, eo ordine Prædicatorum, qui cõcionibus ardentissimis plurimos Italiæ populos in uerã ad Christum uiã cõpulit, præcipuèq; Veronenses, ut Taurellus Sarayna memorat, itemq; Bononienses, uti illorum annales perhibent, ac etiã in libris hominum illustrium ordi. Prædicatorum legitur. Horum numero accedunt B. Isnardus, ex eadem sodalitate, cuius etiam in libris hominum illustrium Dominicani ordinis sancta uita legitur, & Bartholomæus item monachus prædicator, urbisq; suæ Antistes, uir bonus, doctus, ac disertus, cui sacratissima coronæ Seruatoris spina donata est. Tulit insuper Vicentia Palemonẽ, hominem doctum, ut Eusebius testatur, Ant. Luscum oratorem summum, elegantemq; poetam: Mat-

thæum Bissarium oratoria quoque ac poetica facultate præditum, Vicentium Colcæum ex ordine Prædicatorum eximium philosophum, ac Theologum, omnibus Italiæ Gymnasijs celebrem, qui nuper anno à Christo nato MDXXXII. *Bononiæ fato concesſit, vbi diu Philosophicas Theologicasque disciplinas erat professus Hieronymum Plegafetam, ex eadem familia monachum, Oratorem & Poetam præcipuum, vti scriptorum monumentis est testatus: qui* MDXLIII. *post Christi Natiuita. anno Vicentiæ fato concesſit, magno sui; apud posteros desiderio relicto. Ioannes Georgius Trissinus, græcis latinisque literis ornatus, Orator facundus & elegans, non solum Latino, sed etiam vernaculo carmine poeta, quemadmodum lucubrationes eius docent, uir humanitate, ac mansuetudine singulari. Multas Vicentia nobiles, & antiquas familias habet, ut refert Baptista Paliarinus. Scripsit is, ab initio Vicentiæ patriæ usque ad sua tempora, libros sex, primum, de origine vrbis & imperio, præterea, de fide ciuium, de amplitudine vrbis, de agri eius fertilitate, de uiris illustribus, de familijs claris, quæ petiere ac nobilitare præsentium libros singulos, quos omnes Arnardus Vicentinus, patriæ, studio, ac honore ductus, è vernaculis fecit latinos. Multa præterea de hac vrbe scribi meritò possent, quæ nunc ob loci, spatijque inopiam, prætermittuntur.*


VERONA
Castel S.Felise
P.S. Giogio
DIGE FIV
ADI
Teatro
P. del Ve
Scouo
P.S.Zen
P. noua
P. del Paleo

VERONA.

VERONA, Cenomanorum urbs in Gallia Cisalpina, siue ut hodie uocant, Lombardia, à nobilibus Thuscis initio condita, & à Vera, nobili Hetrusca familia, Verona denominata, uti Cato Semproniusq; scribunt, ac deinde pulsis, ac profligatis suis sedibus. Thuscis, à Cenomanis refecta, & aucta, ut Liuius, & Trogus testantur. Venetorum ditionis urbs, ut Strabo lib. 5. ampliſsima; ut Martialis scribit, magna, cùm inquit:

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parua suo Mantua Virgilio.

* Tacitus, lib. 13. Coloniam validam appellitat. In utraque Athesis ripa, magnificè extructa, & pontes quatuor, ripas ipsas coniungunt. Qui quidem (ut Virgilius eum uocat) Athesis amœnus, ut Veronam pene mediam diuidit, sic eandem quoque circumquaque cingit; itaque hodie urbi custodiæ, ornamento & usui est. Qui eam quondam non intersecabat, uerum prope mœnia labebatur, Veronam ipsam ad ortum Solis relinquens. Quod apertissime patet ex fundamento latissimo muri, per medium Athesin deducto, non procul à ponte Castri ueteris, quod & hyemali tempore decrescente aqua, conspicitur. Cuius etiam plurima inuenta fuere uestigia. Præterea anno 1512. amnis ipse adeò excreuit, ut aquarum exuperantium æstuoso impetu, pars murorum fossæ Castri ueteris fuerit deiecta, prope templum D. Zenonis, & nisi tot murorum obstacula fuissent, alueum repetijsset antiquiorem. Scribit etiam Paulus Diaconus, Athesin fluuium tantum excreuisse, ut circa Basilicam D. Zenonis, quæ apud Veronensis urbis muros sita est, usque ad supremas fenestras aqua pertingeret, sed ut B. Gregorius Pontifex perhibet, in

eandem


eandem Basilicam minimè penetrauerit. Verona etiam, à priscis veræ religionis cultoribus, parua Hierusalem uocitata fuit; siue verè similitudinem quandam cum ciuitate sancta, situ, & murorum ambitu perspexissent, siue impositis ijsdem nominibus, certis quibusdam locis religionis zelo, erga ciuitatem sanctam piè fuisse affecti uiderentur. Hinc vallem illam ad montem, cui castrum D. Petri subiacet Dominicam appellauere: montem uerò, cui mox Rochi sacellum nomen dedit, Caluarium dixere, tresque in eo cruces, ex imitatione erigi, ac constitui uoluere. Propè uicina est Aedes, Nazareth dicta. Nec longè D. Ioannis paruum Phanum extat, Bethleem uocatum. Inde parum distat sepulchrum. Propter quæ omnia, & qui plebiscita municipalia condidere, paruam Hierusalem appellauerunt Veronam. Quæ situ est optimo, iuxta colles, qui ad Austrum conuersi sunt, colonis lautis, ac nobilibus ædificijs magnificis, ac splendidis, inter quæ peruetusta Cathedralis ædes eximiaque D. Anastasij sodalium prædicatorum. Habent multa insigniaq; uetustatis monumenta, inter quæ Amphitheatrum, quod vulgus Arenam uocat, iuxta forum Boarium, planè admirabile & stupendum opus, inter omnia, quæ in Italia, alijsque Europæ partibus extare creduntur, integerrimum, minusq; temporum iniuria, aut Barbarorum furore laceratum. Vt autem incredibilis huius amphitheatri capacitas, ab ijs, qui eiuscemodi nunquam conspexerunt opera, penitius cognoscatur, placet ex lib. 2. de amplitudine urbis Veronæ, ex Torello, pauca quædam excerpere. In gradibus, inquit, ipsis amphitheatri, hominum 23184. sessionem commodam signari potuisse, comperitur, cuique hominum spacio pedis, cum dimidio attributo, demptis etiam portarum spacijs, ut per eorum commensurationem colligi potest. Capacitas enim supremi gradus, in circuitu perticarum centum octuagintatres reperitur, medij autem uigesimi primi à superiori descendendo, perticarum centum quadragintaduo, cuilibet portarum latitudini assignatis pedibus quinque cum sesquipede, quæ cum numero quadragintaocto sint, passus quadragintaquatuor in se cõtinẽt, quo numero duplicato, sic altitudine ipsorum

duorum

duorum graduum existente, exeunt Perticæ octuagintaocto: Gradibus itaque omnibus, à primo ad vltimum reductis ad computum medij Perticæ 5796. reperiuntur, sicque spacio pedis cum dimidio, cuilibet homini assignato, 23184. hominibus commoda in hoc Amphitheatro sessio datur. Hæc ille. Conspicitur item Veronæ arcus Triumphalis, in cuius inscriptione ea ipsa: COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA, nominatur. Quin & alia quamplurima vetustatis indicia, ac uisenda monumenta, in vinarijs ciuium cellis, & subterraneis locis quotidie hactenus inuenta sunt, & etiamnum frequenter offenduntur, vt numismata, vitra, vrnæ, lampades, frustra quamplurima simarum, coronarum, denticulorum, stylobatorum, epistyliorum, argutissimè elaboratorum, cæterarumque huiusmodi molinm, uiuo ex lapide, & ex pario marmore mirificè sculptorum. Et, quod mirabile visu fuit, cùm propugnacula in hac vrbe à Venetis ædificarentur, quo tempore Verona pulsis Germanis, recepta fuit, in fossis, quæ tunc excauabantur innumerabiles speluncæ, & cauernæ reperiebantur, quasi tophus ille, iuxta quem Fons est, qui à Ferro nomen habet, per has veluti casas habitaretur. Aliud insuper hoc loci, admiratione maxima dignum, uidere fuit. Cùm eodem namque in monte foderetur, spectabantur Echini lapidei, Paguri, conchæ, cochleæ, ostrea, Stellæque pisces, auium rostra, & id genus alia passim. De quibus quædam in indice commentabimur: Aere Verona tenui gaudet, gens perlauta, magnifica, splendida, iucundo aspectu, ingenio summo, maximèque ad litteras idoneo: rebus omnibus, non solum ad vitam mortalium necessarijs, sed etiam ad delitias, & voluptatem utilibus abundat. Fundatissimas alit familias permultas. Agro est optimo, frumenti, uini, olei, cæterarumque frugum maximè fertili. Vellerum quoque copia pernobilium affluit, vnde maximum incolæ faciunt quæstum. Plura de florentissima Veronensi vrbe, Leander in Marchia Tarui-

sina, auido

do Lectori suppeditabit. Quemadmodum & quatuor peculiaribus libris: Torellus Saraynas, vir præcellentis ac curiosi ingenij, qui de origine, amplitudine, viris illustribus, de dominio, & monumentis antiquis patriæ suæ, peculiari omnium operum commemoratione facta, singulorum etiam picturam, Ioannes Carotti, graphidis peritissimi opera, repræsentans, tanta diligentia scribit, ut ne curiosissimus quidem, in ea narratione quidpiam desiderare queat.



BRI-


BRESCIA
P. dele Pile
CASTELO
P. S. Giouani
P. de Tore longa
P. S. Nazaro
P. S. Lesandro

BRIXIA.

BRIXIA hoc retinuit nomen apud antiquos, præcipuè uerò apud Strabonem. Plinius ponit eam in Cenomanis, populis Mediterraneis decimæ Italiæ regionis. Quod etiam Ptolemæus facit cum alijs pluribus. Hanc ab Hercule Alcmenæ filij nonnulli fabricatam uoiunt, nonnulli à quodam Brinomo, nonnulli à Troianis, nonnulli à Cenomanis, nonnulli à Trace Troiano, nonnulli à Ciconio, nonnulli à Gallis Cenomanis. Qui postremi non errant, Liuium enim auctorem sequuntur. Capreolo placet BRIXIAM dici à Britein. Hæc ciuitas est optima, opumque diues. Est eam sub Scorpio sita, ædibus ornata, populoque plena honesto, ingenioso, ciuili, ac nobili. Fuit semper in populum Romanum eximia fide S. Apollinari Episcopo, & martyre, S. Petri discipulo concionante ueram Christi fidem suscepit anno CXIX. & in eam summa cum constantiæ mansit. Ruinas, instaurationes, imperia huius urbis narrat Leander. Hic omnium est copia rerum. Hic optimus, & fertilis ager, qui frumentum producit, millium, & alias fruges, omnis generis uinum, oleum, & alios fructus. Huic agro non desunt metallorum fodinæ, ut ferri, & aeris, ex quibus maximum fit lucrum. Latus est ager, & largus 800. stadia latitudinis habet, uel milliaria 50. Hic lacus habentur, colles, montes, ualles, compita, rura, castella, industriosorum hominum habitationes. Leander huius urbis recenset litteratos uiros.

BERGAMO

P. Cond.

P. S. Lorenco

P. San. iacomo

P. S. Agostino


Borgo Pignio

IN LOMBARDIA FERTILISIMA

BERGOMVM.

BERGOMVM uetustißima ciuitas ab Etruſcis, ut loquuntur hiſtoriæ, fabricatum, deinde à Gallis Cenomanis inſtauratum, ſedet in montis Cliuo, ad cuius radices habet magna ſuburbia, cum ſe ipſo coniuncta, vbi honeſtißima ſunt ædificia tàm diuino cultui dicata, quàm ciuium habitationi conceſſa. Huius habitatores vrbis, optimis præditi ſunt moribus, quorum etſi rudi ſit ſermo, perſpicax eſt ingenium tamen, acutum, & ad artes ingenuas non tàm procliue, quàm ad mercaturam exercendam. Hic Medici naſcuntur, Iuriſconſulti, Procuratores, Tabelliones, ac Grammatices præceptores ita præſtantes, vt huiuſmodi uiros, cum opus fuerit non foris petantur.

Ager omnis generis fructus ex omni parte producit, præterquàm à Septentrione. Nam ex eo latere totus eſt aſper, montanus, ac frigidus. Effoditur hic tamen ferrum, effodiuntur cotes: plurimas hæc vrbs quoque habet valles, quarum nonnullæ proferunt nobilia vina, & optimum oleum; nonnullæ dant copiam ferri, ſed paucos fructus: in nonnullis verò lanificio uacant incolæ, & uictum quæritant coficientes pannos, quos ad omnes Italiæ regiones mittunt, earum ſiquidem terra neque eſt culturæ idonea, neque ſationi. Quibus olim paruerit Bergomum, & qualia ex ipſa fuerint profecta ingenia, uidendus eſt Leander. Subijcitur Venetijs.


CREMA
P. de Obrian
P. nova
P. de Seri
P. P. Riuolta

CREMA.

CREMA urbs, olim oppidum fuit, si Ptolemæo credimus, & Capreolo, ædificatum ubi erat Diuguntorum forum. Sunt qui dicant à Catholicis Parasinis ciuibus, qui ex ruinis Parasij reliqui fuerant, constructam fuisse. Mediolanensium Archiepiscopus, ob hæresim Parasinorum Parasium urbem destruxit, anno 951. Hanc tamen quos nominaui ciues iterum ædificari curant, sed eam non ut prius Parasium uocant, sed CREMAM, quasi eo in loco sitam, in qua eorum fuit ciuitas cremata. Scribunt nonnulli hanc urbem ruisse temporibus Henrici Quarti Imperatoris. Alij uero à Parasio Troiano ipsam dicunt, originem ducere. Federicus Barbarossa multis eam annis obsedit, ac superauit. Quare ciues discedere inde coguntur, nam ibi exercitum collocat Imperator, qui exercitus ferè totam ignibus consumit, & Cremonensium, ac Lodiensium auxilijs eius mœnia diruit anno 1160. mense Februa. ut Corius ait. Hæc est hodie urbs Venetorum. Iacet in pulchra, uagaq; planitie, maximo circuitu, septa firmissimis muris, frequens, diues, magnificis ædibus plena, rebusque illis referta, quæ hominum uitæ plurimum conducunt. Optimum habet, ac fertilem agrum, bene cultum, & ornatum arboribus, quas amplectuntur uites, quæ generosa proferunt uina. Videntur hic limpidi canales, in quibus piscatu capiuntur Lumbrici, ac Marsi, qui sunt pisces duplo maius reliquo corpore caput habentes, gustui apprimè suaues. Publicum est hic Gymnasium, innumeri ex hac urbe prodiere uiri, qui suis præclaris operibus, eam præclarissimam reddiderunt.

Leander.

LA ROCCA CONTRADA



LA ROCCA CONTRADA.



OCCA Contrada, seù Contraria secundum Blondium in sua histo. Est vetustißimum Oppidum in agro Piceno ad pendices montium, qui Adriaticum mare è regione Senogalliæ inſpiciunt, collocatum, tùm natura, tùm habitu munitißimum, cuius sanè ſitus adeò egregius est, & amœnus, ut nihil ſupra. Iacet enim in Colle quodam aprico circuncirca erecto, non ita tamen arduo, ut aſcendentibus, & deſcendentibus, Incolis ſiue peregrinis non ſit facilis aditus: Oppidum ad Orientem uergit, & locus ipſe in tantum eſt apertus, ac patens, ut inde, non planicies modò, & eius territorium fertiliſsimum ad longiſsimum tractum conſpiciatur: verum etiam ad oras Adriaticas, & ad Illyricas uſque regiones pateat proſpectus. Habet hinc inde montes duos præeminentes, & ſeiunctos ab oppido ad iactum bombardæ, qui quidem montes, quaſi duo propugnacula alarum inſtar oppidum ipſum fouent, atque protegunt. Habet Ciuitas plurima, & ampliſsima templa, ornatißima Palatia: Aer ipſe quemadmodum eſt ſubtilis, & puriſsimus, ita & in quacunque facultate peritißimos, necnon ingenij acie præditos uiros gignit. Et ſicut Scriptorum plurima extant monumenta, Rocchenſes ipſi extraneos, ac barbaros exercitus potentißimos, tùm ſitus, tùm animi fortitudine, uel lapidibus ipſis, ſæpenumero reijcere, ac profligare ualuerunt, ipſiſque uiam, & tranſitum ad propinqua oppida intercludere. Ita ut iure meritò Rocca Contrada Propugnaculum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſit appellatum, ſub cuius uexillo ſanctißimo, quemadmodum ad hodierna uſque tempora ferè ſemper militauit, & adhuc militat, & ſicut Oppidi inſignia Chriſti Cruce, & D. Petri Clauibus ſunt inſignita, ita faxit Deus Opt. Max. ut ad nouiſsimam uſque diem ſub tanto præſidio, & adminiculo continuè foueatur.

SVL-

ORVIETO

VRBS VETVS ITALIÆ
ETRVSCORVM CIVITAS

ORIVETVM.



RIVETVM, *Mediterranea Thusciæ ciuitas, sita est in excelsi, præcipitisq; montis, spatiosa in vertice planitie, sine muris, quorum vice rupibus undique præruptis, altisq; cingitur, natura hoc modo creatis, ut ex summa crepidine despectum in ima, perquàm horribilem habeant. Cælo est iucundissimo, præter quàm autumnali tempore, quum in amne finitimo Palea, cannabis solet macerari: tum enim aer, eo fœtore corruptus, colonis permolestus est. Templum hic sumptuosissimum, cuius frontem pernobiles ex marmore statuæ, summorum artificum operis elaboratæ decorant. Inter cætera est historia costæ Adamo extractæ, ex qua summus conditor Euam figurauit. Hæc tanto artificio facta sunt, vt haud putem humano ingenio uinci posse. Templi fenestræ alabastreticæ sunt, non aliter, ac uitrum perlucidæ. Seruatur hic magnis honoribus linteum, quod Bolsenæ miraculo magno sanguine est intinctum, ex hostia sacrosancta stillante. Id quotannis, die, qui corpori Christi festus agitur, per vrbem ingenti cum religione deferunt, memoriæ tanti miraculi causa. Sunt hic ædes splendidissimæ ab Vrbano Quinto Pontifi. Maximo factæ* MLXVII. *post C. N. anno Vrbs frequens olim admodum fuit, cæterum auorum nostrorum memoria, partibus Muffatorum & Marcolinorum pernicioſissimis desolata propemodum, per plurimas illarum inter se cædes, expulsionesq; : quanquam extinctis deinde factionibus, paulatim inter res pacatas, satis se tum populo, tum opibus refecerit. In planitiem hic præcipiti uia deuenitur ad Paliam, qui amnis à Catone Pelia uocatur, & infra Oriuetum in Tyberim cadit.*

AQVA PENDENTE

P.S. Sepolcro

P.S. Leonardo

P. dela m. del fior

P.S. Agnes

P. del Masaro

P. dela Ripa

AQVAPENDENS.



QVAPENDENS olim Aquula, à Ptolemæo designatum Volaterranus existimat, Plinij testimonio nitens, qui Aquasenses, cognomine Taurenos (non tamen, vt Volaterranus legit Aquulenses) memorat, Oppidum est oblongum in monte positum, via, quæ Sena Romam ducit, inter lacum Vulsinensem, & amnem Trilam, siue Paliam, qui lapideo ponte sex fornicum transmittendus est. Inde alius pons, quem nominant Cintinum, à quo proximæ vicus appellationes sunt sortitæ.

ANCONA

P. uecchia S. Pietro

P. del calamo

P. Pia

P. d. Porto

P.lla d. Pier gregò

Portella tavoloni

Portella Nova

Portella

Portella detta loggia

Portella d.la Seccaria

Portella d.Sanzo

P.la P. la nauisa

P. d. capo d. Monte

ANCONA.

ANCONAM, *prius Picenam uocabulo Hetrusco, simul & Aborigenum dictam, perhibet Cato. At Strabo, Græcam urbem, & à Syracusanis, qui ob Dionysij tyrannidem, Sicilia profugerant, conditam, Plinio, Solinoq; probante, scribit. Iuuenalis, eam originis esse Doricæ, uelle uidetur, cùm ait: ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon. Putat Leander, hanc auctorum uarietatem conciliari posse, ut Dorios Græcos urbem à fundamentis primum incepisse, posteaq; Syracusanos, aut Siculos eam auxisse: Vel, Anconitanum portum, Doriorum esse opus, dicere liceat, ut innuere Iuuenalis videtur, oppidum verò ipsum, Siculorum. Quidam, vt Papias, Catinusque historici scripserunt, Anconem Dolopes Thessaliæ populos: alij, Ancum Martium, Regem Romanorum, ædificasse prodiderunt. Ancona igitur, in ea Italiæ parte ciuitas, quæ quondam Picenum, iam verò, Marchio Anconitana uocatur, sub promontorio, qua se ad Adriaticum torquet mare, iacet. Ab oræ huius flexu, cubiti formam, ut Plinius Melaq; testantur, efficiente, denominata, nam is ἀγκὼν Græcis dicitur. Oppidum hoc, priscum Italorum & Gallorum discrimen est habitum. Etenim, ut Mela tradit, Italia hic finiebatur, incipiebantque Galli Senones, cum Gallia togata. Tam præstanti, opportuno, atque capaci est portu ornata, vt in uniuersa Italia, nullus conspiciatur amplior, tam loci natura, quàm arte, & industria hominum, ab omni insultu hostium tutißimus, vt non immeritò tritum uetustate habeatur prouerbium, Vnicus Petrus Romæ, unica Turris Cremonæ, unicus portus Anconæ. Hanc Traianus Imperator Augu. marmore, cum gradibus, per quos commodißimè naues onerantur, & exinaniuntur, adiecto etiam arcu, magni, ac præclari operis, cum inscriptionibus huiusmodi. Imperat. Traiano Cæsar, diui Neruæ F. Neruo optimo August. Germanic. Datico. Pont. Max. Tr. Pot. XIX. Imp. XI. Cos. VII. T.P. Prouidentißimo Principi S.P.Q.R. Quod adces-*

sum

ſum Italiæ,hoc etiam addito ex pecunia ſua,portum tutiorem nauigantibus reddiderit. Et in dextro ipſius arcus latere: PLOTINÆ Aug.Coniugi Aug.In læuo: DIVÆ Marcianæ Aug.Sorori Aug.Anconam,vtpote antiquiſſimam urbem, ſcriptores multi, præter hactenus citatos, memorauere, nimirum Sempronius,Procopius,Cæſar,Tacitus,Antoninus,Lucanus,cùm inquit: Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.Silius ita: Stat fucare colus,nec Sidone uilior Ancon.Itemq; liber Coloniarum,his uerbis: Ager Anconitanus,in limitibus Græcanicis,in centurijs eſt aſsignatus. Maximè,quantum ex hiſtorijs colligere poſſumus,ſub Imperio Romano floruit,uſque ad Gothorum in Italiam aduentum, à quibus obſeſſa fuit, multisq; oppugnata prælijs,tam fortiter tamen oppidanis,et Conone,præſidiorum Iuſtiniani Impe. Aug. præfecto,eam defendente,vt quanquam deiectis ab hoſte ſuburbijs,nunquam capi potuerit,quemadmodum à Procopio Blondoq; traditur. Qui etiam alibi referunt, apud Anconem Legatos Narſetis claſſem Gothicam uiciſſe nauium XLVII. è quibus, X. tantùm euaſere cladem, cæteris omnibus aut captis, aut ſubmerſis,cùm Romana claſsis,nauium triginta ſolùm fuiſſet, Poſt tempora Gothorum, Anconem Longobardus tenuit,ſedemq; ac domicilium fecit Marchionatus,ea propter Anconitani appellati. Longobardis deletis,profligatisq; cum cæteris Italiæ ciuitatibus,hæc etiam, ad Imperatorum Cæſ. ex Germania ditionem peruenit. A Sarracenis,deinde regnante Lothario, circa Sergium Pontificem Romanum direptam,incenſamque,Blondus auctor eſt. Poſt hæc, à ciuibus, qui ex ea clade ſuperfuerant, paulatim inſtaurata,refectaq;, ſimulque mox opibus,ac populo aucta, conſenſione ciuium mirifica,ſuo iure uti, ac in ſua poteſtate eſſe cæpit, uſque ad annum à Chriſti Natiuitate MDXXXII. Ea autem libertate tum Bernardini Barbæ Caſalenſis Epiſcopi, ac Ludouici Gonzagæ, Clementis Septimi Pontificis legionum Præfecti artibus,eſt exuta. Caſtellum illi ædificarant,tanquam vrbis,aduerſus Turcarum,itemque piratarum incurſiones, propugnaculo ac præſidio futurum,hoc opere iam ita perfecto,ut habitationi aptum uideretur, fraude,ac ſi præſidia militum,tormentariasque machinas introducturi eſſent, urbem

ipſam

ipſam occupant. Quod cùm ciuium Magiſtratus irtelligerent, quia reſiſti iam nulla ratione poterat, in ſuas quiſque priuatas ædes confugit, deſerta curia, quam mox Barba, ualido præſidio militum, & tormentorum occupat, relegatis in uaria loca urbis primoribus, & quibuſdam eueſtigiò Romam miſsis, prætereaque callidiſsimo conſilio, tota iuuentute, quæ tractare arma poſſet, à ciuitate abducta. Ita planè, in Summi Pontificis imperium, poteſtatemq; Ancona deuenit. In qua Silij temporibus, purpuram tingi ſolitam, ex his eius uerbis, lib. 8. intelligimus. Stat fucare colus, nec Sidone uilior Ancon, Murice nec Lybico. Ad quem locum Marſus annotat, purpuram maximè tinxiſſe ternos populos, Phœnices, Libicos, & Lacones, quodque idem Anconitani facerent, uti à Silio proditur, id alios non tradidiſſe. Genuit etiam Ancon ingenia nobiliſsima magno numero. Imprimis autem Auguſtinum ordinis Eremitarum eximium Theologum, quod ſcriptis in lucem editis probauit. Item Franciſcum & Nicolaum Stalamontios, Iuris apprimè conſultos, latinisque literis eruditos. Præterea Cyriacum totius antiquitatis, & rerum memorabilium per totam Europam, Aſiæque & Aphricæ partem indagatorem. Qui mirifico ſtudio, quæ literarum monumentis celebrata legerat, ueluti Theatra, amphitheatra, circos, templa, ſtatuas, tymbos, obeliſcos, pyramides, tabulas cum Epitaphijs, arcus, & id genus, curioſæ inueſtigationis alia, non ſolùm ipſe oculis conſpexit, uerùm etiam diligenti exacta pictura, reddidit, expreſsitque.

Rogatus autem, cur his in rebus tam ſtudiosè uerſaretur, ut mortuos excitem: reſpondebat. Dicto herclè, tanto uiro, conuenienti, atque digno.

LAVRE-

LAVRETVM



LAVRETVM. AGRI RECE:
NATEN IN ITALIA CELEBRE
OPP: AD MARIÆ. ATIQVISSI
MAE ISITA Æ DE ILLVSTRIV

LAVRETVM.

IN Piceno, inter Ricinetum & Mare, haud procul à Musone fluuio, inclytum toto Christianorum orbe Fanum, in colle D. Mariæ Lauretinæ iacet, fortissimo muro cinctum cum vico, quem ferè caupones, stabularijq;, ac diuersorias tabernas exercentes, incolunt; ad eos, qui quotidie ex omni Europa, præcipua tamen frequentia Primiueris & Autumni temporibus, hùc, votorum causa ueniunt, excipiendos. Initium de hoc delubro scribendi unde potissimum facere oporteat, equidem ambigimus, ob excelsam loci religionem, summamq; magnificentiam: Attamen cùm illius sanctissimi conclauis in mentem uenit, in quo nata educataq; cœlorum Regina, semper Virgo Maria, mater filij Dei, ac ubi nunciante Gabriele Archangelo genitrix Dei appellata, item ubi in ipsa carnem hanc nostram ærumnosam assumpsit Deus, quò nos à Tartarei Sathanæ tyrannide, ac potestate ad regni cœlestis portam, quæ tot seculis, ob primorum parentum noxam occlusa steterat, traduceret; de illo, quanquam dignè haud posse, satis propter ingenij nostri tenuitatem intelligamus, tamen pij curiosiq; Lectoris gratia, breuiter aliquid commemorare instituemus. Primùm omnium haud quaquam dubitare oportet, hoc illud ipsum conclaue esse, in quo mundi Regina in lucem edita; quandoquidem, præter grauissima scriptorum hac de re, ac item, uti ab Angelis huc deportatum sit, quæ leguntur testimonia, nemo tam duri cordis, aut sceleratus esse potest, qui in ingressu mollescat, ac seipsum diuina quadam ui, & instinctu moueat, ad locum honorandum, precesq; ad Diuam, ut pro uenia suorum criminum ad Iesum Christum uelit intercedere, fundendas. Præterea verò id miracula confirmant, hic diuinitus edita, quibus mortales Matri Dei supplices, uotorum compotes facti, & etiamnum quotidie fiant; ut euidenter monumenta scriptorum, statuarum ex auro, argento, cera, picturæ, aliaq; similia, quæ per multas ætates & sæcula, huc delata, suspensaq; cernuntur, indicant. Etenim omnia hic à Deo miraculosè

facta, sigillatim recensere, quæ eiusmodi sunt, ut ijs incredibilia uideantur, qui Deum Optimum Max. dulcissimæ Matris precibus, haud permoueri existimant, non solùm infinitum planè foret, uerum etiam perfectè nullo fieri studio, facultateq; posset: ideoque hic nobis consistere uisum: orandaue sanctissima Dei genitrix, ut quod à me, uti oportebat, ac debiti erat mei, non laudatur, id benignitate condonet sua. Aedes hic est magnificentissimæ, cuius in medio conclaue Sacrosanctum, conclusum muro crasso, sic tamen, ut humanum opus diuino coniungi nunquam poterit, quemadmodum apparet, eo scilicet documento, id haud quaquam esse dignum, ut quos Christi Mater tetigit, parietes, contingat. Fanum totum mœnibus fortissimis, & omnibus armorum, cùm ad defendendum, tum ad feriendum generibus, itidemque tormentarijs machinis, instructis, munitum est, ne à piratis iterum, ut olim à Turcis diripiatur, ac vastetur. Auctores huius operis fuere Alexander VI. Pontif. multoque magis Iulius Secundus, etiam toto vico muris complexo, vt nunc tutò hic Canonici, & Sacerdotes, in fano sacris operantes, cum cætera plebe habitent.

NOCERRA

In Appennino Monte~



NVCERIA.

CIVITAS NVCERIA, *Ptolemæo, Vmbrorum in Piceno dicitur. Hodie Noceta est, vt Leander ait, Plinio Nucerini sunt, quos Fauonienses, & Camulanos cognominari tradit, Volaterranus, Blondus, Leander, & Niger scribunt Alphatemiam etiam dictam ex Liuio. Sed Alphaterna apud Liuium legendum docet Sigonius ex Diodoro: Sed in Samnio ponit hanc Liuius. Alphaternorum etiam meminit Plinius. Hanc Nuceriam Constantiam appellat Antoninus, Onuphrius Nuceriam Constantinam Coloniam uocat; huius meminit quoque* C. V. *Nansij codex M. S. Frontini. Nuceria Colonia Ptolemæo, Straboni & Plinio, Campaniæ Picentinorum urbs. Hodie Nuceria dei pagani, Leandro. Hanc Cicero ad Atticum non semel Luceriam nominat. Quatuor huius nominis urbes habet in Italia Ptolomæus, quarum unam in Apulia Daunia collocat, hanc etiam Neuceriam uocat cum Ptolomæo Suetonius. Sed Luceriam appellant uterque Plinius & Liuius, item Strabo; apud quem Leucheria legitur, Stephano ex Polybio Lucaria est, sine a in medio legit codex Polybij Lucria. Luceria dei Saraceni Leandro nunc dicitur. Addit illi aliquando Diuæ Virginis Città di S. MARIA nomen inditum: Sed pristinum nomen præualuisse. Quarta Nuceria Ptolomæi est in Gallia Togata, ubi hodie Riuo de Lusera est, vt putat Leander, qui hæc de Nicerano Vmbriæ oppido porrò commemorat; Nuceria ciuitas lateri Apennini adhærens, quam Nuceriam Strabo uocat, & à uasis ligneis commendat. Nuceria quoque Ptolomæo dicitur, Plinius Nucerinos Fauonenses memorat, Alfateniam olim cognominatam ait Blondus, idq; mihi ad differentiam aliarum Italiæ Nuceriarum uidetur factum: est enim in Campania Felice altera, in Apulis tertia, quanquàm illa veriùs appellari Luceria debeat, nimirum, ut ab hac Alfatenia, item à Campaniæ Nuceria, necnon alia eiusdem nominis in Apennino, agro Mutinensi*

discer-

diſcernatur, quemadmodum Volaterranus ſcribit. Idem quoque contendit Alſateniam Vmbricæ ciuitatem ab hac Nuceria diuerſam fuiſſe, prorſusq; deletam. Ego credere auſim, aut hanc urbem Alſateniam eſſe, aut illam loco ſaltem propinquo extitiſſe, ut euerſæ nomen poſt huic Nuceriæ ſit additum, quò ab cæteris eiuſdem nominis internoſceretur. Alſateniæ mentionem Liuius ſæpe facit, præſertim cum Liuium Conſulem, ad eam obſidendam profectum, & oppidanos in populi Rom. poteſtatem redire coactos ſcribit. Propter montis, in quo Nuceria, radices Topinus amnis, Tinnam Plinius uocat, infimam uallem percurrit, cui inde Topiniæ nomen uſque Fulgineum. In Tinnæ ripis ingentes paſſim apparent ædificiorum ruinæ, fundamentaq; maximorum operum, quæ à Romanis ad tutelam viæ Flaminiæ facta quondam: ea enim hac ſecundum Tinnam P. M. XII. emetiuntur. Iſta hactenus Leander.


MOLA
Gaeta
TV QVOQ LITTORIBNOS
TRIS ÆNLIA NVTRIXÆ.
TRIA MORIENS FAMÃ
CAIETA DEDISTI

MOLA.



OLA, in Latio ad Appiam uiam, à C. Caligula Silice ex Olibano monte stratam, & undique peramœnis hortis ornatam, longus & perelegans uicus: A Molarum, ut plerique existimant, frequentia dictus, quas hic è montium radicibus continuò profluentes, aquæ uersant. locus est me herculè peramœnus, horti undique cultissimi, citris, limonibus, aliisque nobilibus arboribus consiti, omnia quoque riuuli purissimarum aquarum grato murmure perfundunt, & passim in habitationes magna cum uoluptate ducuntur. Fuit hic, ut ait Volaterranus, Formianum Ciceronis, de quo ille lib. 2. de Oratore scribit, Lælium ferè semper cum Scipione rusticari solitum, eosque quoties huc ex urbe, tanquam è uinculis euolauissent, incredibiliter repuerascere esse solitos. Multitudo sanè ueterum monumentorum, & marmorum similiter inscriptorum, prætercaq; uestigia magnarum domuum, olim hunc locum ualde frequentatum comprobant. Et profectò, cæteris Italiæ peramœnissimis iure debet annumerari, quamobrem, & à Martiale describitur huiusmodi carmine.

O temperatæ dulce Formiæ littus,
Vos cum seueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tybur vxoris,
Nec Thusculanos, Algidosve secessus,
Prænestе nec sic, Antiumve miratur,
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta

Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento,
Nec languet æquor viua, sed quies ponti.

Spatio deinde P.M.V. Caietam usque, per sinuosam Caietani littoris oram, eandem uia summa cum voluptate, amœnissimi cernuntur horti, citris, limonibus, & id genus arboribus frequentes, aquulisq; lympidissimis irrigui, ad initium usq; promontorij, cui insidet CAIETA, quod Laconico uocabulo a curuitate nomen sortitum existimant. Lacones enim curua omnia, Caietas appellabant. Solinus tamen auctor est, sic ab Aneæ nutrice nominatum, quod etiam testatur Virgilius inquiens: Tu quoque littoribus nostris Aenea nutrix; Aeternam moriens famam Caieta dedisti: quem in locum Seruius annotat, alios hanc Aneæ nutricem, alios Creusæ, alios Ascanij dicere. Lectum tamen etiam in philologis, hoc loco classem Troianorum casu concrematam, indeq; Caietam ἀπὸ τοῦ καίειν dictam, quòd accendere, adurereq; Latinis significat. Verumenimuero Landinus in eosdem Virgilij uersus aliter scribit, tradere quosdam olim, ubi nunc Caieta modicum fuisse castellum Epicæ, sic ab Epica urbe Herleæ uocatum, Caietæq; mentionem etiam Homerum facere, cæterùm præterea concludit nihil. Sed auctorum melior pars, Virgilio consentit, uti quoque Facius, hac sententia scribens:

Vidi ubi Catillus posteà uixit,
Quàm Thebas reliquit, & in urbe fui
Cui Aeneæ nutrix, nomen adhuc præstat.

Caietam quoque Silius appellat, & Ptolemæus, alijque classici auctores: ubi portus semper celeberrimus fuit, amplissimè, ut Spartianus perhibet, ab Antonino Pio refectus. Urbs est munita cum primis, &

arcem

85

arcem habet inuictiſsimam ſummo in monte, quem ſuperioribus annis muro cinxit Ferdinandus Arragonum, & Neapolitanorum Rex, Gallis ductu auſpiciſq; Conſalui Ferrantis è regno pulſis. Epiſcopus urbi datus propter Formias à Saracenis exciſas. Plurimum eam Gelaſius II. Pontif. illuſtrauit, item ætate noſtra Thomas Vionius prædicatorum familiæ generalis magiſter, & poſt à Leone X. Pontif. Cardinalis creatus. Multa uir ille cum Theologica, philoſophica, logica, tum de conſcientiæ caſibus ſcriptorum monumentis prodidit: & profectò parem, aut ſecundum aliquem, neque noſtra memoria, neque multis anteactis ſæculis habuit, quanquam nec æmulis caruerit multis. Obijt Romæ poſt C.N. 1534. anno. Elatus uti monachus, quod ipſe iuſſerat abſque pompa funebris, & apparatu Cardinalitio monumentoque conditus extra portam magnam Mineruæ ad dextram, quod ipſe uiuus ſibi poſuerat, cum hac inſcriptione, Thomas de Vio Caietanus Cardinalis S. Xiſti, ordinis prædicatorum. Vitam eius Ioan. Baptiſta Aquilanus tam proſa, quàm carmine pereleganter ſcripſit. Maximis cladibus non ſemel obrutam Caietam didicimus. Ingens ibi clades anno à Chriſti Natiuitate 1394. contigit, quando à Gallis direpta laceraţaque cum ingenti oppidanorum cæde, nec enim aut ſexus, aut ætatis, aut religioſorum penetralium diſcrimen habitum. Multis præterea poſt id tempus in hunc uſque diem regni Neapolitani mutationibus conuulſa, quaſſataque urbis, cæterum fide Ferdinandi Regis Arragonum, Caroliq; Quinti dein Imper. Auguſti conſtantiſsimè, pertinaciſsimeque ſemper hæſit. Hæc de Caieta.


BELITRI
Velitræ. Antiquissima
Laty. initalia Vrbs in
monte. mœnibus

Meminit etiam Cicero huius Ciuitatis lib. 16. ad Atticum, Epistola vij. his uerbis (quælibet adscribere cùm ex illis uidere sit, quanti Octauianus illam Ciuitatem fecerit) kal. vesperi litteræ mihi ab Octauiano redditæ sunt. Magna molitur: veteranos, quique Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam.

Idem denique Cicero, cùm in Rullum oraret causam, & de Capuæ excellentia uerba faceret, Callatiam quoque inter præcipuas Campaniæ vrbes commemorat, his uerbis. Romam in montibus positam, & conuallibus, cœnaculis sublatam, atque suspensam, non optimis vijs, angustissimis semitis, præ sua Capua, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent. agros ucrò, Vaticanum, & Pupinium cum suis optimis, atque uberibus campis conferendos, scilicet non putabunt, oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per iocum contemnent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuuium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeijs, Nuceria comparabunt.

Extat adhuc magna pars ueterum murorum, qui fuerant tantùm ex quadratis lapidibus sine calce, aliouè genere ferruminationis structi, præseferentes haud paruam vrbis elegantiam.

Antonius Sanfelicius Monachus, eleganti de Campania libello, Montana est, inquit, Calatia, supra quam, seorsum tamen, ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert, ferruminato nexu lapidibus aptè inter se cohærentibus. Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt, qui dicant: quos, ego non sequor, opinorque ciues per ea tempora habitasse, ubi adhuc habitant. Argumenta mihi est perennis aqua influens subterraneo riuo in cisternam ueterem, quæ in oppidi est umbilico, ipsaq; aqua per æstiuos menses ob innoxium frigus ciuibus gratissima est. Addo etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua hoc incisum est Epigramma.

M. GA-

C A L A T I A.
M. GAVIVS TF
QVISELLIVS QF.
GALLVS
DVOVIR QVINQ.
CREPIDINES CIRC
FORVM SPF.

Si ergo heic erat forum, continuò & oppidum, nunquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles oleta distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur.

Hæc Cisterna, cuius auctor hic meminit, etiamnum Calatinis commodè inseruit. In foro enim Ciuitatis, insignis est puteus, qui constat magno subterraneo ædificio in tres partes diuiso, mirabili artificio factus. Nam cùm intrinsecus non solùm singuli parietes, & cameræ, sint solido marmore muniti, verùm etiam ipsum pauimentum adeò ut aquis scatere pœnitus non possit, tamen perpetuò abundat aquis, mirantibus cunctis, nemine causam abundantiæ aquarum adhuc sciente, licet vulgus illorum hominum, pro uniuscuiusque captu, uaria iudicia ferant.

Sunt multa in ea urbe antiquitatis monumenta, & ueteres inscriptiones, quas omnes hic intexere, una hæc pagina non tolerat. Illud tamen silentio præterire non possum, quòd etiamnum in ipso foro Ciuitatis extet simulachrum lapideum Priapi, paucos ante annos in ruderibus antiquissimi templi Veneris Felicis repertum: Quale simulachrum neque in antiquitatibus quotquot Romæ sunt, neque in alia ulla urbe, quod sciam, reperitur.

Fuit Calatia inprimis ipsis crescentis Ecclesiæ temporibus Episcopatus titulo insignita, ut patet ex publicis tabulis, ab usque anno humanæ salutis 300. confectis, ubi mentio habetur Episcopatus Calatini.

Fuerunt inter illius urbis Episcopos duo sancti uiri pietate, & miraculis clari, S. Ferdinandus scilicet,

& S. Ste-

& S. Stephanus. Ferdinandus qui iamdudum ante Stephanum illam ecclesiam rexit, Hispanus ex regali Aragoniæ prosapia fuisse traditur, quo tempore claruerit ignoratur. Eius corpus seruatur in templo suo nomini dicato, in oppido Albiniano Calatinæ Diœcesis. Stephanus Italus fuit, claruit tempore Landulphi Principis Capuæ, cuius corpus seruatur in ipso Episcopali templo, suo nomini dicato. Eius festa dies celebratur iiij. kal. Nouemb. qua etiam populo ostenditur illius digitus, qui est adhuc integra carne.

Ecclesia Calatina, perantiquum & paucis in Germania & Gallia notum, sacrarum imaginum usum obseruat, per quem accuratissimè comprobare uidetur: Imagines, hunc quoq; in finem, in cœtu fidelium asseruari, vt Laicorum libri existant. Nam Septimanæ sanctæ, Sabbato sancto, dum in eminenti Cathedralis ecclesiæ loco, in quo Euangelium decantari solet, Prophetiæ decantantur, statim, prophetica lectione una finita, ad plebem fidelem in ecclesia collectam, à sacrorum ministro, eodem ex loco depicta explicatur, & euoluitur charta, imaginum & colorum uarietate ad uiuum expressa, eandem ipsam prophetiæ historiam, quam Canonicus iam antè decantarat, repræsentans. Ita, ut duodecim prophetijs decantatis, duodecim picturæ inter se connexæ, & baculo complicatæ, sensim in imum euolutæ, fideli populo spectandæ propositæ, duodecim prophetias, quasi uiua uoce populo explicent, & interpretentur. Fuit etiam in eadem ecclesia consuetudo uetustate comprobata, ut die Iouis sancto, quando Mandatum Domini de more, & ritu maiorum celebratur, in Sacello S. Trinitati nuncupato, Altare concauum trium digitorum altitudine, trium pedum latitudine, sex uerò longitudine, unius Cadi capax, uino impleretur, quod fideles in Cathedrali ecclesia pietatis ergo congregati, interea temporis exhauriebant, dum absoluto Mandato, duodecim pauperum pedes ab Episcopo lauarentur. Et tenuit ecclesia hanc consuetudinem, usque ad Concilium Tridentinum, cui tunc, non sine communi Ciuium dolore, derogatum.

Ornamento æuo duraturo ecclesia Calatina condecoratur Octauij Mirti Frangipanij Antistitis sui uirtutibus, & nullis non sæculis laudanda prudentia, qui nomine Summi Pontificis Gregorij XIII. Ciuitatem

Bononiam bonis legibus gubernauit. A Sixto deinde quinto, ad Superiorem & inferiorem Germaniam omnesq; Belgij Prouincias, eo tempore, cum potestate Legati de latere, destinatus est Nuncius, quo periculosissimo bello præcipua Nunciaturæ suæ loca ardebant. In qua quidem functione octauum in annum Coloniæ potissimùm resedit, & tanta maturitate, grauissima Rei Christianæ publ. negotia administrauit, vt Serenissimis & Reuerendissimo Principi Electori Colonienſi Ernesto; Bauariæ Duci, Parmensi Duci, Senatui Colonienſi, & vniuerso demum Clero gratissimus fuerit. Post, ob virtutem & merita à Clemente VIII. *ad Episcopatum Tricaricensem euectus, magnum sui desiderium apud omnes reliquerit; quando ab eodem Pontifice ad grauiora pertractanda negotia, ad Archiepiscopos Electores, cæterosq; Germaniæ Principes, ablegatus peregregiam ibi operam Religioni & Clero restaurando præstat. Tanti certè temporis residentia, & rerum usu eleganter cultus, de Colonienſis Ecclesiæ statu accuratè informatus, opus eruditum conscripsit, de Ecclesiastica illius Ecclesiæ, & Cleri Reformatione; quod, ut ad communem & publicam utilitatem in lucem prodeat, omnibus votis optandum.*

PVTEO-

MON PROCHITAE
Villa Vaciæ
Lacus colurus
MARE CVMANVM
Palus Patriae
MONS MI
SENVS
PROMONTORIVM MISIENI
MARE MORTVVM
Mercatus Sabbati
LACVS AVERNVS
MARE
PVTEOLANVM
MON CI NERV
PROMONTORIVM PAVSILIPI
Scopulus Nisidae
ARX NISIDAE
PVTEOLI
Promontorium Puteolo
MOLVM
S. Saluatoris
MONS BARBARVS
PORTVS NISIDAE
MONS PAVSILIPVS
LACVS ANIANVS
Via Pulcrus
Lacus
Turris Astruni

PVTEOLI, ET BAIAE.



VTEOLI, *Campaniæ oppidum uetus, iuxta littus marinum impositum colli, initio Dicæarchæam dictam, nimirum ab administratione iustitiæ, sanctissimoque imperio, Plinius, Strabo, Silius, Appianus, & Philostratus auctores sunt. Emporium Cumanorum Puteolos fuisse, posteaq; Colonis Romanis admodum frequentes redditos, & nomen à puteorum multitudine accepisse, uel, ut alijs placuit, à Putore, quem hic passim aquæ calidæ ui sulphuris emittunt, quapropter nonnullis etiam Phlegra uocatus sit Cumanus ager, Strabo memoriæ prodidit. A Liuio Puteolorum mentio sæpissimè fit, præsertim autem, ubi colonos eos deduxisse Fabium Max. urbemq; muniuisse, neque multò post, Annio Consule referente, decretum à Senatu, colonos in quinque ciuitates marinas, & inter eas Puteolos mitti narrat. Alibi etiam Annibalem ad Auernum prætextu sacrificij profectum, sed animo capiendi Puteolos. Alio denique loco Romanorum coloniam factam scribit. Vrbis medio nunc templum antiquissimum, ex quadrato lapide cernitur, quanquam ui terræmotuum nonnihil deformatum. Id Christiani D. Proculo dedicarunt, & in aditu hanc inscriptionem adhuc habet. Calsurnius L. F. Templum Augusto, cum ornamentis D. S. I. Et alia quoque pars huiusmodi, L. Cocceius L. C. Posthumi, L. Auctus Architecti. Visuntur etiam hic ossa quædam humana uastissimæ magnitudinis. Plin. huius urbis memoriam pluribus in locis usurpat, nominatimq; Sil. cæruleum Puteolanum, commendat: itemq; natiuos, factitiosq; colores referens, purpurissum inquit Puteolanum potius laudatur, quàm Tyrium, aut Getulycum, aut Laconicum. Sunt qui nouam hanc urbem dicant, & uetus oppidum Puteolos non hoc in colle positum fuisse, sed aliquanto remotiore loco, ubi nunc ingentes adhuc*

ædificio-

ædificiorum ruinæ supersunt. Ego contra haud quaquam hanc recentem, sed ipsam urbem antiquam puto esse, non modò situ eius præsenti, quod propinqua littori portuique sit, de quo paulo post agemus, sed etiam reliquijs pontis ab huius collis radicibus olim incipientis, prætereaque ueterrimo illo templo, de quo dictum est, adductus: quanquam multò quondam ampliorem fuisse, quàm nunc sit, cum omnium antiquorum monumentis celebretur, minimè negare uelim, adeoque putem illa operum propinqua vestigia, vel partem urbis alias, uel suburbia fuisse. Portus dein ad eius pedem ualdè commodus, atque tutus erat, quem opere factum, iactis in mare pilis, Strabo scribit, nam ad eiusmodi moles puluerem huius agri peropportunum esse, quod cum alia materia mixtus, ualidissimè conglutinetur in aquis, atq; solidescat. Cuius rei Vitruuius etiam testis est, ac item Plinius, his uerbis de terræ uarietate scribens. Quis enim satis miretur, pessimam eius partem, ideoq; puluerem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus, mersumq; protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis & fortiorem quotidie, utiq; si Cumano miscentur cæmento. Puluerem quoq; Romanum, qui è rupibus intimis ad structuras hac memoria solet effodi, ab huius præstantia Puteolanum dici arbitror. Portus autem Puteolani uestigia fermè nulla supersunt, quòd partim à mari occupatus sit, partim, uti alia regionis opera, nemine curante, per se perierit. Contra in mari xiij. vastissimæ pilæ turrium instar ex latere structæ, ac in ijs quibusdam arcus semiruti cernuntur exaduersum illis pilis, quæ item in æquore iuxta Baias apparent. Pontem ab Caligula Imp. superiectum, quo transitus à Puteolano littore, usq; in Baianum sinum iungebatur, Suetonius his uerbis amplissimè memorat. Nouum atq; inauditum genus spectaculi excogitauit. Nã Baianum medium interuallum, & Puteolanas moles, trium milium & sexcentorum ferè passuum ponte, coniunxit, contractis undiq; onerarijs nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ uiæ formam. Per hunc pontem vltro, citroque commeauit biduo continenti, primo die phalerato equo, insignis quoque quercia corona, &c. & gladio, aureaque chlamyde, postridiè quadrigario habitu

curriculo

curriculo bijugi famosorum æquorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine, & in essedo cohorte amicorum. Hæc Suetonius. Post has pilas ultra Puteolos, in littore multi salubrium æquarum fontes prorumpunt. De quibus copiosè Leander, in Italiæ descriptione disserit. A mortui maris ostio per oram Baiani sinus ad Auernum, inde usque Puteolos incedenti, tot eo tracta magnificarum ædium operumque, tanquam perpetui uici ruinæ conspiciuntur, vt certò credam narrationis fidem excessura. Primum circa Maris mortui fauces asperrima rupes excauata cernitur, ita ut per eam nunc in sinum Baianum è Mari mortuo commeare nauigia possint. Hanc olim sic excisam autumo, quò commodius ad alias circa lacum habitationes terra peruenireturr: nimirum non superato rupis culmine, uel transmisso ratibus mari. Postea tamen collabentibus ædificijs, ijsq; locis desolari paulatim incipientibus, nemine curam aquarum, vt arcerentur, sustinente, omnia mare hausit, vnaque viam silice stratam, quam in hodiernum usque diem pacatis, & consistentibus vndis passim in fundo est cernere: quapropter cùm olim isthac terra transiretur, nunc nauigio profieisci oportet. De cætero per littus ad Baias uersus sumptuosissimorum operum ex alijs rupibus olim ad mare propendentium apparent partes, pilæ nimirum ingentes, quibus incumbebant. Erant illæ cum ædificijs ipsis ad viam, quæ à villis circa mare mortuum Baias ducebat, nunc autem vnà cum via, quod supra diximus, ipsisque fundamentis ædium & partibus, in æquore conspiciuntur tantæ magnitudinis ac admirationis, ut equidem curiosa ingenia planè cogant obstupescere. Baiarum inde vestigia sunt, ingentia nimirum pelago demersa operum fundamenta. Vrbis interitus à ui terræmotuum exortus est: qua de causa paulatim emigrantibus colonis, tandem omnia marini inuasere fluctus, ut adeò iam nullum hic integrum ædificium supersit, præter balnea quædam iuxta uicinas rupes, vbi plurimæ quoque cauernæ cernuntur, ex quibus existimari potest, olim magnificas hoc situ ædes extitisse. Baias, Plinus, Strabo, Suetonius, Tacitus, Appianus, Antoninus, Mela, Silius, alijq;

plurimi

plurimi ſcriptores compellant. Nominis originem à Baio quodam Vlyſſis ſocio, hic ſepulto, fluxiſſe ſcribit Strabo. Propè veſtigia Baiarum in miri palæ quædam craſſitudinis immenſæ conſpiciuntur, ex cocto latere ſummo artificio conſtructæ, quibus aliæ ſimiles haud procul Puteolis directò reſpondent, olim pontis imponendi cauſa iactæ, quo tranſitus à Baiano ſinu recta per mare in Puteolanum iungeretur.

TER-

TERRACINA



VETVSTISS AD MARE
THIRRHENVM TERRA
CINAE OPPIDVM.


TERRACINA.

TERRACINA, *antiquissimum Latij ad mare Tyrrhenum oppidum, Pomptinæ paludi quondam hoc loco celebri, imminens, mari, priscis temporibus circumfusum, uti Solinus testatur, & in hodiernum usque diem agnosci potest: fuit enim primæua fundatione in monticulo, conuallibus undique cincto, per quas aquæ marinæ diffundebantur, ijs verò deinde terra paulatim oppletis, nunc continenti collis hæret, urbsq; ad littus inferiori loco ædificata est. Ciuitas est exigua, sed frequens, & honesta: agro gaudet fœcundissimo, amœnissimoque, uitibus, citris, limonibus, & id genus arboribus abundante. Ad nomen quod attinet, an Terracina, uel Tarracina scribi debeat, optimos quosque auctores, utroque dixisse modo reperitur. Strabo, Mela, Liuius, Antoninus, Cæsar, Ptolemæus, alijque plurimi, & elegantissimi scriptores, Terracinam uocant, & Polybius Terracinenses commemorat. Sed Tacitus, Solinus, & Procopius, Tarracinam nominant. Olim Anxur, lingua Volscorum, eorundem caput, ut Plinius, & Cato scribunt. Strabo Trachynam ab initio uocatam perhibet, id est; asperam, propter montem saxosum, in quo fuit posita. Græcis enim, ut Herodoto ζαχὺς, asperum significat. Liuius etiam Anxur, dicit, inquiens: Anxur, trecenti in Coloniam missi sunt, bina iugera agri acceperunt. Seruius in eo Virgilij loco, Circæumque iugum, queis Iuniam missi sunt, bina iugera agri acceperunt. Seruius in eo Virgilij loco, Circæumque iugum, queis Iupiter Anxurus aruis Præsidet, Iouem Anxurum in hac Campaniæ parte, quondam cultum scribit, ita dictum, tanquam ἀνεξυρᾶς, id est, sine nouacula, quia barbam rasisset nunquam, ideoque signum eius imberbe fuit. Lucanus de Anxure: Iamque & præcipites superauerat Anxuris arces: & Martialis ad Faustinum: ò nemus, ò fontes solidumque madentis arenæ Littus, & æquoreis splendidus Anxur aquis.*

aquis. Item, post, ad Frontinum, Anxuris æquorei, placidos Frontine recessus: & Silius: Quis Circæa iuga, & scropulosi uerticis Anxur. Terracinæ quoque nomen auctores plurimi posuerunt, in primis Liuius multis locis, præterquam; vbi spolia & prædam huius oppidi, caussam ab initio fuisse stipendij militibus dati, prodit, in hanc sententiam: Fabio ad Anſuris iuxta paludes (Terracinam posteriores vocarunt) obsidionem profecto, simulq; capiendæ vrbis exposita ratione, Seruilius Hala, mox cum tribus cohortibus eam obsidere incipit. Eæ, colle quodam occupato, qui vrbi imminebat, cum inde in muros euasissent, maximumque iam vrbis discrimen Fabius animaduerteret, edicto uetuit in oppidanos sæuiri, bonis tamen eorum direptioni permissis: qua in re, cum paritum Imperatori fuisset, ideo postea militibus æra dari cæperunt, quod ante diem illum, in vsu non fuerat. Alibi quoque scribit, militum manum in montis angustijs, ad Lautulas, non procul Anxure consedisse, dein pugnatum ibi, post, sub Asdrubalis in Italiam aduentum, vrbem hanc immunitate donatam; insuper alibi, angues immensæ magnitudinis, piscium modo iuxta portum Terracinæ colludere visos, memorat. Suetonius Tiberium Imperatorem, in Prætorio propè Terracinam cœnantem, ægrè repentinum saxorum lapsum, quo multi amicorum eius, & familiarium attriti sunt, effugisse scribit: quam rem etiam Tacitus memorat. Terracinæ Palmarius consul interfectus, quod cædem in Adrianum moliretur, ut Spartianus scribit, qui & portum Terracinensem ab Antonino Pio refectum prodidit. Transcurrit hæc ad Terracinam vrbem Appiana via, quæ Roma Brundusium ducit, maiori nunc ex parte paludibus submersa: quamobrem Roma Neapolim euntibus, ad eius leuam, versus Terracinam in editiora paululum deflectere, necesse est. Strabonis ætate perelegans fuit. Traianus silice per Pontinam paludem strauit, pontibusque multis per fossas, & aquarum uias coniunxit, plurimis etiam ædificijs ad tutelam eius extructis, uti à Dione monumentis est proditum. Erat olim iuxta viam Appiam fossa profunda, perpetuis aquis, tum paludium, tum amnium uicinorum plena; per quam Terracina Romam nauiculis commeabatur. Eas sub noctem conscendebant,

debant, ſummoque mane in Appiam egrediebantur, qua dein ad vrbem deueniebant terra. Erat hæc via ſumptuoſo opere facta, ſpondylis elegantium lapidum artificioque tanto compoſita, vt ad decimum quemque pedem, quæ pertica vetus fuit, & noſtros pedes duodecim efficit, lapides ſingulo medio pede præ cæteris eminerent, decempedæq; menſuram demonſtrarent, quæ quoque ex tranſuerſo erat latitudinis. Monumentorum veterum ad hanc viam utrinque, tum ueſtigia, tum ingentes ruinæ, quin & integra etiam ædificia multa cernuntur. Iuxta fuerunt hæc olim municipia, Terracina, Formiæ, Minturnæ, Sinueſſa, item pars agri Tarentini, Brunduſiniq;, ac aliæ multæ vrbes, de quibus plura Leander.

TIVOLI



TYBVRVENVSTALA
VRBS VVLGO
TIVOLI

TYBVR.



TYBVR, uenusta Latij urbs, uulgò Tiuoli, olim etiam Herculea uocitata, ut auctor est Strabo, quòd Herculem præcipuè Tyburtes colerent, eoq; certa quotannis festa die, maxima populorum multitudo confluueret, ut ait Perottus. Quinetiam Catadacta nuncupata legitur, ob uicinas loci angustias, unde fluuius Anio præcipitat, ubi primum nauigabilis esse incipit. Amnis enim ille, per nemora usque descendens, ibi ex editissimis rupibus, in subiectam conuallem delabitur, ac post in Tyberim intrat, uti etiam à Strabone perscriptum est. Liuius plurimis in locis memoriam Tyburis usurpat, præsertim uerò, cùm bella Tyburtium, et Romanorum, pacemq; compositam inter eos refert. Et Ouidius in fastis inquit:

Aspice Tybur, &c.

Posterioribus sæculis, Imperij Romani maiestate collapsa, florens etiam huius urbis fortuna perijt: à Germanis enim euersam, etsi post, à Friderico Aenobarbo muris ampliata restitutaq; sit didicimus. Arcem ibi, quæ nunc est, munitissimam, Pius II. Pontif. M. extruxit, cuius aditum Ioannes Antonius Campanus, Episcopus Aprutinus, homo doctus hoc disticho exornauit: Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis, Sum tibi Tybur, enim sic Pius instituit. Cœlum habet temperatissimum. Quapropter superioribus sæculis aulæ Romanæ Primores hic æstatis feruentissima tempora soliti fuerunt exigere. Famam Tyburis Sybillæ Albunea, Tyburtina cognominata, quòd iuxta fontem Albuneam, propè Tybur esset nata, plurimum illustrauit. Eam hic ad Anionem diuinis honoribus cultam reperimus, in quo amne postea simulachrum eius, librum manutenens, inuentum est. Simplicij quoque Pontificis Rom. patria Tybur fuit, sed et alios præterea multos excellentes summosque uiros genuit, quorum omnium commemoratio, nisi

tio, niſi longiſſimè fieri haud poſſet. Inprimis tamen Vincentius Leoninus fuit, qui diu ſumma cum laude, bellica ſtudia ſectatus eſt, & fratrem habuit Eccleſiæ, ſua in patria, moderatorem ſapientiſſimum. Extra Tybur altiſſimis in iugis, fons eſt, Albunea, quem ſic ab aquæ qualitate dictum, ait Seruius in horum Virgilij verſuum expoſitione:

——— Oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, Lucosq; ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamq; exhalat opaca mephitim.

Addidit etiam Seruius, ſub alta Albunea dici, quòd fons præcelſis in montibus ſit, à quibuſdam etiam Leucotheam uocari, præterea non ſolùm fontis, ſed etiam ſyluæ circumiectæ nomen eſſe Albuneam. Infra Tybur, haud procul, multa uetuſtatis inueniuntur monumenta, interque cætera, marmor inſigne, quo Leo cum equo tam apertè commiſſus exprimitur, ut uera uiuaque pugna uideatur. In læua, propinquo loco iuxta pedem montis, ruinæ apparent mirificæ, ac peringentes, uillæ Tyburtinæ, quam Adrianus Imperator immenſis ſumptibus ædificauerat, ita, ut in ea, & Prouinciarum, & locorum celeberrimis nominibus inſcriptis, veluti Lycium, Academiam, Pritanium, Canopum, Pœcile, ac Tempe partes uocaret, inquit Spartianus. Circum Tybur Latomiæ ſunt, ubi lapis Tyburtinus, de quo Plinius etiam meminit, cæditur. Ex hoc & ex Gabio, maior ſplendidorum ædificiorum pars urbis Romæ conſtitit. Subiecta Tyburi planities, propter Anionem plurimis aquulis gelidis ſcaturit, quas Albulas uocant, multa medica uirtute, cùm potæ, tùm balneo adhibitæ, pollentes, ut ſcribit Strabo. Nomen Albularum à coloris albedine captum, quam metallum ſulphuris, vnde fontes promanant, efficit. Quamobrem ita Martialis:

Itur

Itur ad Herculei gelidas quà Tyburis, arces
Canaq; ſulphureis Albula fumat aquis,

Similes natura ſunt Labanis, in agro Nomentano, ac item alijs, circa Eretum aquis, ut Strabo perhibet. Ad viam præterea, qua Tybure Romam itur, quibuſdam in locis candentes generantur lapilli, dulciarijs condituris, velut amygdalarum, coriambri, aniſi, cinamomi, ac id genus alijs, ſimillimi, adeò quidem, vt non niſi à prudentibus diſcerni queant.

GALLIPOLI



CALLIPOLIS
VRBS VETVSTISSI
MA FORTISSIMA AT
QVE FIDELIS

GALLIPOLIS.

GALLIPOLIS, *urbs in Salentinis & Magna Græcia, cuius fines olim Strabo demonstrat inter mare Tyrrhenum & Adriaticum, omnem illum Brutiorum & Lucanorum agrum, & præterea rebus crescentibus, universam tenuisse Siciliam testatur. Cato, Magnam Græciam vocatam perhibet, oram, sinui circumiectam Tarentino. Nam circum sinum Tarentinum, inquit, est magna Græcia. Id huic Regioni nomen obtigisse Scriptores tradunt: Quòd, cum hic ad sinum Tarentinum, tum in Lucanis Brutijsque Græci, ad nouas quærendas sedes, patria digressi, diu constiterint, urbesq; plures, quam in ulla quauis alia regione, condiderint. Alias tamen aliorum rationes Leander prolixius commemorat in sua Italiæ historia, quas nostri instituti ratio non fert, in typographicis urbium descriptionibus referre. Ad Gallipolim igitur nunc paulò propius accedamus, oppidum in ora, & in ipso, quasi sinu ac cauda Italiæ situm. Anxa Plinio, de quo Mela. Vrbs Graio Gallipolis. Et Noniu Pontianus, obseruationibus suis in Melam, Pro, urbs Graia Gallipolis, scribendum putat. Vrbs Gallica Gallipolis. Plinius in tertio. In ora, inquit, Senonum Gallipolis, quæ nunc Anxa: Erit igitur Gallipolis dictio composita, ex uoce Græca & Latina, quod etsi rarò, aliquando tamen fit, ut in Epitogium monstrat Quinctilianus. Gallipolis igitur in finibus Italiæ, quam Magnam Græciam uocant, mirabili constitutione sita, in ambitu miliare Italicum cum dimidio, continet, & habitationes ultra mille, octingentas, rupi, & immobili saxo insidet: Muris, tam ad defensionem idoneis, quam ad ornatum, & magnificentiam conspicuis circundata, aere saluberrimo gaudet; Peninsulæ formam repræsentat: De qua Leander in Italiæ & Salentinorum descriptione, ista commemorat.*

In Salentinis, inquit, Ciuitas est Gallipolis: Ita Melæ uocata; sed Anxa Plinio P. M. à Tarento XLII. *Eam initio Græcos, deinde Gallos tenuisse Rassanus vult: nobis contrà uidetur, Græcos successisse Gallis, idque potissimum nominis argumento, quod à Græcis uti vrbi de Gallis captæ inditum, Gallipolis: Nam, si primos Græcorum fuisse colonos arbitraremur, posteriores Gallos, illi sanè, non græcam appellationem, sed aliam ex sua lingua vernacula condidissent. Accedit huic sententiæ, quod Ecclesia Gallipolitana, tanquam à posterioribus colonis Græcis, etiamnum instituta, ritusq; Græcorum obtinet, quodq; in more habeat, nunc originis gentisq; Græcanicæ, nunc Latinæ, per vices æquas, episcopum creare. Scopulo insidet, seu Insulæ modicæ, quæ mari undique cingitur, continenti adhæret ponti, saxis ingentibus suffulto; quæ nonnunquam tumidis undis, ita prorsus occultatur, vt vrbi plena tum Insulæ forma sit: Munitissimum itaque natura situm habet, ut adeò haud facilè ui expugnari posse uideatur. Locus instar est fori, & negotiatoribus accessu, tam mari, quàm terra peropportunus: Quapropter toto anni tempore, mercatoribus frequentatur, maximè Genuatibus. Ex aduerso duæ longius in altum proiectæ insulæ, sed permodicæ, minimiq; momenti cernuntur. Ager Gallipolitanus optimus, & fertilissimus est oleo, uino, croco, cæterisq; fructibus ad vsum humanæ uitæ cum primis abundans: mare ualde pisculentum habet. Atque ista quidem Leander hactenus, cui paucas quasdam obseruationes addemus ex separata Ioannis Bapt. Crispi topographica tabula, quam in laudem & elogium patriæ suæ, ænea tabula diuulgauit.*

In aditu vrbis, qui unius tantum pontis est, Castrum est ualdè munitum, ad defensionem & conseruationem loci, peropportunum. Præter uaria loca pietati nuncupata, Ecclesiam etiam Cathedralem, sanctæ Agathæ dicatam Gallipolis exhibet.

Fontem similiter nouum, elegantissimis decoratum statuis, quinque tubis, præstantem aquam, ciuium usibus affatim eructantem. Aquæductum præterea operis uetusti, partim conspicuum, partim per occultos terræ meatus procul deriuatum.


Insula,

Insula marinis secata aquis, ager quondam fuit, urbi Gallipolitanæ multis sæculis continuus, nunc uerò aquarum impetu à contimenti auulsus, & in Insulæ formam redactus est.

Quæ verò paulo maior, ex opposito, insula apparet, D. Andreæ dicta, miliare Italicum in latum continens, plana, & mari in circumferentia accliuis, compascua, pecoribus larga pabula præbet, quæ ex Gallipoli certo anni tempore eò pabulatum emissa, aliquandiu, loco ibi tutò, substituunt, ubi & Gallinarum multitudini bruchus, in pascuis frequens, & nociuus, uictum affatim præbet.

In Insulæ medio lacus dulcem aquam tanta copia fundit, alueum ut in mare deducat. Demum, & à quæstuosa piscatione Insula hæc parua plurimum commendantur.

FONDI



FVNDI.

FVNDI, Campaniæ oppidum in plano ſitum, ſatis commodè habitatum, per medium ſtrata via Appia, ab Ortu & Septentrione montes, à Meridie & Occaſu mare habet. A dextris ituris Formias, lacus Fundanus eſt. Straboni, Melæ, Silio, Ptolomæoque Fundi, ſed Antonino Fundæ, Liuius eiuſdem meminit, vbi Fundanos Appiæ ſecuritatem & tutelam procuraſſe narrat: poſt quoque Vitrubium Bachum Fundanum Priuerni rebellionis principem nominat, quamobrem, cùm à L. Papyrio Cons. victis Priuernatibus, alter Conſul Plautius in Fundanos exercitum duxiſſet, illos ait, Plautium adijſſe, non pro Vitrubio, vel eius exercitu deprecantes, ſed populum Fundanum defectionis crimine haud contingi contendentes, quippe, quia Vitrubius & Priuerni domicilium habuerat, & ibi militem collegerat, non Fundis, eaque de cauſæ laudat os à Conſule Fundanos, & abductas ex eorum agro legiones. Strabo, vinum Fundanum & Cœcubum agriq; finitimi ualdè commendat: Vti quoque Plinius lib. 14. cap. 6. Vina tamen Fundana ætatem non ferunt; Itaque Fundanum non debere ſeruari Martialis ſignificat, his verſibus: Hæc Fundana tulit, fœlix Autumnus, Opimi. Expreſſit mulſum Conſul, & ipſe bibet. Vrbem hanc, cum locis alijs plurimis, Ferrandus Arragonum, & Neapolis rex, ſingularium meritorum præmio donauit Proſpero Columnæ, præſtantiſſimo, fortiſſimoq; Duci, quemadmodum eius egregiæ declarant res geſtæ, in Sabellici Enneadibus, & Latinis Leandri Ephemeridibus

meridibus commemorata. Fundis adiacet Cæcubus mons, cuius uina multis in locis ab Horatio commendata, ut lib. 3. Od. 29. & lib. 2. Od. 14.

Calamitatem Fundis insignem anno Salutis MDXXXIV. Caradinus Barbarossa classis Solimanni Turcarum Imperatoris præfectus intulit: omnes enim oppidanos in seruitutem abduxit, nec multum abfuit, quin & Iulia Gonzaga caperetur, lectissimæ formæ matrona, quam Vespasianus Prosperi Columnæ filius matrimonio sibi iunxerat, tanta uenustate ac pulchritudine, ut formæ ipsius fama, etiam ad barbaras Turcarum aures peruenerit. Nam Barbarossa Turcicæ classis Imperator, à Gallo contra Carolum in subsidium excitus, mare Tyrrhenum magna classe tenens, ingentem toti Italiæ, continuis incursionibus & latrocinijs metum iniecit. Et, cùm in ea parte maris, ubi agri Fundani sunt proximi, uersaretur, ad rapiendum eam, animum intendit. Rem enim longè gratissimam Solimanno facturum sperabat, si inter reliquam prædam, tam excellentis formæ fœminam asportasset. Cuius cùm se maximè fieri compotem cuperet, ex triremibus, aliquot militibus in terram expositis, hos eius rei experiundi causa, in ciuitatem celerrimè iubet excurrere: &, cùm iam iam oppidum oppressuri essent, illa sibi metuens, & hæc resciens, nulla mora, nulla cunctatione interposita, etiam uestibus necessarijs post se relictis, seminuda per equi celerrimi cursum, plus, quàm credibili festinatione, saluata pudicitia atque uita, sese, ex spurcissimorum, fœdissimorumq; latronum manibus eripuit. Qui, cùm omni spe eius potiundæ se excidisse cerneret, furore, rabieq; actus, oppidum diripuit, incendit, atque à nullo crudelitatis aut libidinis genere, in omni sexu, absque discrimine exercendo abstinuit, atque, tanquam uilissima pecora ad uictimam, ita hos ad naues, multis plagis atque uerberibus cogens, in omnem miseriam, perpetuamque seruitutem, atque acerba mox subeunda supplicia, abegit. Hanc crudelitatem spatio quatuor horarum Turcæ exercuerunt: Monimenta insuper quibus Prosperi, & Marci Antonij Columnarum ossa, loco templi edito condita erant, ut aurum, ornamentaque cætera detraherent: Item simulachris passim

Salua-

Saluatoris, Mariæ Virginis, aliorumque Diuorum laceratis, prædam ingentem ad naues retulerunt. Ortus hac vrbe Soter Pontifex Romanus, qui vltra annos nouem sub incommodo Imperatore Commodo, Ecclesiam fœliciter gubernauit. Hinc, itinere ad Formias, læua, cassellum Villa cernitur, Imperatoris Galbæ patria. Dextra, Lacus Fundanus est: &) Fandanum in Plinianis codicibus perperam legi, Barbarus annotauit. Pisces in eo capiuntur multi, præsertim, raræ magnitudinis anguillæ.

TAREN.


TARANTO

TARENTVM.



TARENTVM à Tarante Neptuni filio constructum fuit, vt asserunt Pausanias in Phocitis, & Seruius Grammaticorum longè doctißimus in 4. Georgicon, & 3. Aeneid. & comprobat Nummus argenteus Tarentinorum, in quo Taras Delphine victus (opiæ cornu, & victoriæ icunculam gestat. Opibus olim mirum in modum ualuit, cum 30 peditum, equitum tres millia conscribere posset. Pausanias insuper commemorat in templo Delphici Apollinis, equorum & captiuarum mulierum signa Ageladæ Argiui opus conspici, Tarentinorum munus: & in Eliacis Herculem Tarentini Hippotionis donum. Statuarum moles, & candelabrorum scapos admiratur Pli. lib. 38. Summæ rerum populus præfuit Pythagoræorum dogmatibus addictus, vt ait lib. 6. suæ Geogr. Strabo, & adstipulatur Galenus in libro de Philosoph. histor. & quidem Aristoteles lib. 6. Politic. cap. 5. commendat diuitum Tarenti ciuium erga pauperes liberalitatem. Dein progressu temporis luxu inualescente Tarentinorum nomen eo processit, vt parum sobrios eorum mores notarent Aelian. lib. 12. de var. histor. & Liuius lib. 38. Qua de causa status etiam ciuitatis periclitari, & ad imum vergere cœpit: cum enim contra finitimos bellum gererent, externos Duces aduocare coacti sunt, cum autem mille equitum ductores patriam illustrassent. Hi præter alios Reges Pyrrhum, vt in Italiam traijceret hortati sunt, eo Imperatore in Romanos vsuri. quo tandē Italia pulso, in ditionem Romanam concesserunt. Victis pacem, & libertatem P. R. elargitus est, vt Liuij Abbreuiator testatur. Verum cum Annibal apud Cannas Romanas vires infregisset, Punicam victoriam Tarentini secuti sunt, vt Sil Italicus lib. 11. & Liu. extremo lib. 22. narrant: quousque per varios euentus in Romanorum potestatem libertate mulctati ceciderunt, & Colonia exinde eo deducta quieuerunt. Strabo lib. 6. vell. Patercul. histor. lib. 1. Sex. Iul. Front. de Colonijs. var. auct. de limit. agror.

agror, irruentibus autem in Italiam Barbaris Tarentum dirutum est à quibus, & quando incertum: illud tamen constat circa annos Domini DXLVI, à finitimarum vrbium incolis restitutum fuisse. Constantinopolitanis Cæsaribus paruit, dein Sarracenis Italiam inuadentibus, quibus eiectis, Normannis primum, tum Sueuis, Andegauensibus, Arragonijs, & Austrijs postremo anno MDXVI. subijcitur. Principatus titulo insignitum olim fuit, quem Aragisus Dux Beneuentanus primus in Italia excogitauit anno Domini DCCLV. Ciuitas hæc munitissima inter duo veluti maria consistit, quorum alterum ad piscatum aptissimum est; quod & Aristoteli innotuit, qui lib. 4. Politic. cap. 4. piscatorium multitudinem Tarenti, sicut & Byzantij fuisse scribit. Tarentini fuerunt Architas Pythagoræ familiaris Platonis cum Euryto conciue præceptor, Philolaus, Lysis, & Aristoxenus Philosophi, Heraclides medicus. Ager Tarentinus Horatij carminibus celebratus optimus etiam nunc habetur. Oues laudant Columella lib. 7. cap. 2. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 18. Lanas Plinius lib. 8. cap. 47. Martialis lib. 8. Salem Plinius lib. 31. c. 7, Nuces Macrobius, Palladius de re rust. lib. 2. tit. 16. Castaneas eod. lib. cap. 23. Vina Plinius lib. 14. cap. 6.


ROMA · ANTIQVA
B
E
R

Insigniorum Vrbis Ædificiorum Index.

1 Castrum Prætorium.
2 Viuarium.
3 Minerua medica.
4 Amphitheatrum Castrense.
5 Hippodromus Aureliani Aug.
6 Villa Pæduceorum.
7 Atrium Faustæ Aug.
8 Amphitheatrum Flauium.
9 Circus Maximus.
10 Horti, & domus Mœcenatis.
11 Columna Traiani.
12 Columna Antonini.
13 Diribitorium.
14 Hippodromus Sallustij.
15 Thermæ Diocletiani, & Maxim. AA.
16 Mausolæum Augusti.
17 Pantheon Agrippæ.
18 Circus Flamminius.
19 Theatrum Balbi.
20 Amphitheatrum Tauri Statilij.
21 Thermæ Alexandrinæ.
22 Circus Agonalis.
23 Theatrum Marcelli.
24 Insula Tiberina.
25 Pons Palatinus.
26 Pons Horatius.
27 Thermę Antonianę.
28 Septizonium Seueri.
29 Templum Bonę Deę, & Lunę
30 Pyramis C. Cestij.
31 Mons Testaceus.
32 Via Triumphalis.
33 Moles Hadriani Aug.
34 Hippodromus Hadriani Aug.
35 Horti Domitij.
36 Mon. Sempronij.
37 Villa L. Rustij.
38 Circus Caij, & Neronis Cęs.
39 Sereniani.
40 Pons Triumphalis.
41 Villa P. Bibuli.
42 Thermę Seuerianę.
43 Mammę Sacellum.
44 Ianiculensis P.
45 Naumachia.
46 Mon. Bębiorum.
47 Sep. Anniorum.
48 Porta Salaria, hodie S. Agnese;
49 Porta Numentana.
50 Porta S. Laurentij.
51 Porta Prænestina, & Lauicana.
52 Porta Asinaria.
53 Porta Metodium.
54 Porta Latina.
55 Porta Ardeatina.
56 Porta Portuensis.
57 Porta Ianiculensis.
58 Porta Septimiana.
59 Porta Aurelia.

DE RO-

DE ROMA ANTIQVA.

ANtiquam urbem Romam, Quirites, Terrarum Deam, Gentium Reginam, Deorum domicilium, Magistram morum, communemq; omnium patriam, sine controuersia, primam cunctarum urbium, quis ignorat? Maius enim Romam, nihil unquam fuisse, omnium testimonio, iam pridem in confesso est: Ita Diuina mens Ciuitatem Populi Romani egregia, temperataque regione, collocauit, ut Orbis Terrarum Imperio potiretur: Cum rerum natura uires omnes in unam urbem ostendere uoluerit. Cum quis Campum Martium inspexerit, Sepulchrum Augusti, tot marmoreis simulachris, & æris ornatum Forum Romanum, & Iouis Tarpei delubrum Thermas, Porticus in Prouinciæ modum extructas, Amphitheatrum, Tyburtino lapide exædificatum, tautæ altitudinis, ut ad culmen uix humanus oculus pertingere possit. Panthæon mira altitudine, spatiosis molibus fornicatum. Templum Pacis, Pompeij theatrum, Circum Maximum, Septizonium, tot Arcus triumphales, tot Aquæductus, tot Statuas per urbem ad ornatum positas: Si ingrediaris Forum, aliud ex alio uidebis appositum: Quis Regales Porticus, Aedesque Sacras: Quis Capitolium, & in ipso, & in Palatio opera, & in Liuiæ Porticus, quæ singula contemplans, alia facile obliuione delebis: Talis est Roma, cuius primi muri luto, ac palis defixis tam humiles erant, ut eos Remus leui saltu, transilierit. Hæc tua monumenta parens Romule: Hæc illa æterna urbs, Terrarum Regina, & Dea gentium Roma, cui par est nihil, & nihil secundum, quæ undique deuicto in gyrum paulo minùs Orbe Terrarum aduectos, sine fine triumphos recepit: Innumerabilium coloniarum sub cælo parens. Sed Ciuili, intestinoque bello absumpta Terrarum omnium alumna, eademq; parens, numine Dea electa. Quæ cœlum ipsum clariùs faceret sparsa congregaret Imperia, ritusq; molliret, & populos discordes, feraque linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatē

hominibus daret, breuiterq; vna cunctarum gentium in toto Orbe, patria fieret. Cuius monumenta, quis probè consideret, plures in ea victorias & triumphos, quàm annos à prima conditione reperiret. Quos Maro, Heroica Maiestate, in breuissimo Aeneæ scuto perstringens satis probè complexus est. Fuit etiam Romani nominis comes semper fortuna, Dijque præstantes, & beneuoli: Qui, ne Capitolium à Gallis caperetur, sopitis custodibus, Sacratam falli alitem non permiserunt. Vnde Cicero in oratione ad Quirites, Dij, Deæq; immortales, qui excellenti tumulo Ciuitatis sedem, Capitolij in saxo incolitis constitutam, ubi tot Reges, tot Duces, tanta virorum spectata est indoles, meritò Dij, hominesq; consenserunt, vrbem his locis statuendam, vbi saluberrimi colles, ager feracissimus, flumen ad res uehendas idoneum, situs ab extremæ classis periculo immunis, vrbs media Italia, & ob id ad rerum incrementa habilior, ubi ex uno Orbe, Deorum numine facta est vna vrbs. Nulla enim (ut ait Plato) potest Ciuitas sine fauore numinis prosperè constitui, nec fœliciter administrari. Nulla præterea urbs tam admirabilis magnitudine Imperij, omnibus humanæ naturæ dotibus uenerabilis, bonis exemplis dotatissima. Eademque benignissima parens omnium quascunque gentes, atque terras, ita muneribus proprijs ditauit, ut tamen cæteras non in uniuersum similibus dotibus fraudaret, uni quidem omnia Romæ tribuisse uidetur, in ea omnia sunt, quæ aut fortuna hominiaus, locisque, aut natura largitur. Vnde Propertius.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.

Est præterea quædam certa vox Rom. generis, Vrbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animaduerti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum. Quid quòd libertas cum animantium generi gratissima nusquam tanta est, tum ingenuè agendi, tum liberrimè loquendi. Aliæ nationes seruitutum

uitutum pati possunt, Populo Romano est propria libertas, eo Tyberius Cæsar delatoribus respondere solitus, In libera Ciuitate, liberas esse oportere hominum linguas. Nullibi præterea tam magnam urbem mortales uiderunt. Vnde Heliogabalus Imperator, metiri cupiens eius magnitudinem loco Aranearum telus, proposito præmio, corradi iussit, & decem millibus pondo Aranearum collectis, magnitudinem eius, hoc ludicro deprehendit. Romanorum gens omnium mitissima, & clementissima, habita est. Apud quàm unum supplitium tantùm, ante, & post fuisse immane, & barbarum in Metium Suffetium Albanorum Dictatorem, Tullo Hostilio rege authore, in alijs gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. Nullas urbes, ac nationes oppugnauit, quas non uicerit, nullos supplices ad se uenientes populos, quos non benignè susceperit, nam, cùm legari Carthaginensium, ad captiuos redimendos in urbem uenissent, nulla accepta pecunia, eos reddiderunt, tot punicis iniurijs uenia data. Vnde hostium uox talis reddita, O munificentiam gentis Rom. Deorum benignitati æquandam, nam beneficium, quod nunquam dedissemus accepimus.

Nulla gens, inquit Cicero, quæ non, aut ita subacta sit, ut uix extet, aut ita domita, ut quiescat, aut pacata, ut uictoria nostra, Imperioq; lætetur, tum gentes, quas antea, nullæ literæ, nulla uox, nulla fama notas fecerat, cæteras item partes, quæ uel à gentibus, uel inimicis huic Imperio, uel insidijs, uel incognitis immanibus, & Barbaris tenebantur, nostris armis deuictæ parere coactæ sunt. Milites quinimmò armis insignes, Roma statim habuit, & populum Marte gentium, ut terrigenas cum armis natum existimes. Vnde Pyrrhus, de uirtute militum Ro. O quam facilè, inquit, Orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Regem Romanis.

Hac uirtute maiores nostri, primum uniuersam Italiam deuicerunt, deinceps Carthaginem exciderunt, Naumantiam euerterunt, potissimos Reges, bellicosissimas gentes in deditionem huius Imperij redigerunt. Tot habuit triumphos, quot oræ sunt, partesque Terrarum, tot uictorias bellicas, quot sunt in

rerem

rerem natura genera bellorum. Illud uerò sine dubitatione Romanum fundauit Imperium, quòd fundator huius Vrbis Romulus fœdere Sabino, docuit, etiam hostibus recipiendis augeri Ciuitatem hanc oportere: Cuius auctoritate, & exemplo nunquàm est intermissa & maioribus nostris, largitio, & communicatio Ciuitatis, itaque ex omnibus generibus gentes uniuersæ in Ciuitatem sunt receptæ; Licet institutum deinde fuit, ne quis nostrum plusquàm vnius Ciuitatis esse posset, ne quis inuitus Ciuitate mutetur, neuè in Ciuitate maneat inuitus. Vnde quidam Athenis numero iudicum adsciti, cùm ignorarent, si illam Ciuitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postlimmio recuperaßent. Hic ille Princeps terrarum gentium uictor, domitor vniuersi, supra humanam sortem potentißimus. Hæc est illa Roma, Regina urbium, mundi caput, Ingeniorum parens, gentium hospita, peregrinæ uirtute semper patens: Vbi omnis repentina, atque ex virtute nobilitas, ex externis quoque atque Ciuitatis donatis. Constat enim ex data non minùs prudenter, quàm liberaliter, Ciuitate, tam Italis, quam externis, & dum nullum fastiditur genus, in quo virtus eluceseeret, creuisse Imperium, non propter generis nobilitatem tantùm, sed propter res egregiè gestas, nulla Orbis parte modo essent clari uiri, repudiata: Nec verò Asia hic ab Europa distincta est, sed omnia omnibus in medio posita sunt, nemo censetur, modo sit Imperio, aut fide dignus, sed stat communis Terrarum status; Isq; popularis sub optimo Imperatore, atq; rectore, Omnesq; quasi in commune Forum conueniunt pro suis quisq; meritis præmia relaturi. Quòd verò suis finibus, regibusq; Ciuitas quæpiam est, idipsum est: Hæc vniuerso Orbi, quasi communis vrbs Prouinciæ totius conuentus. Porrò dixeris in vnam hanc arcem coniectos omnes habitatores: Quiq; per gentes, ac populos diuersa loca incolunt, hæc uerò nunquàm ulli defuit, sed ut terræ solum fert omnes, ita & hæc ex uniuerso Orbe confluentes omnes accipit, quasi mare flumina: Quin etiam hoc illic quoq; cum mari commune est, quòd nec mare maius sit, fluuiorum influxu, tanquam fato datum sit, ut unà cum illis amplitudinem quoque influentem recipiat, neq; in hac ob magnitudinem quicquam apparet, sed sicuti qui intra sinum recondunt omnia, ita & hæc omnes intra se com-

complexa est. Quippe vltro, citroq; meantibus eadem est, eademq; uisitur. Nulla vrbs tam tenue habuit principium, nec ad tam magna rerum fastigia ita maturè peruenit. Cui ab exordio tam simplex uitæ cultus fuit, vt rudi cemento constratas domos, & scandulis roboreis, ac stramentis contectam urbem per annos CCCC. vsque ad Pyrrhi bellum fuisse, satis constat, & totidem prope annos pulte, pro pane vsos: Post deuictum Orbem delicijs rerum omnium, quas tellus, mareque gignit expleuisse animum. Vrbs tota passim culta, ac frequens agro ad fruges, ad pascua ad uites gignendas vberrimo; Siluis ad lignandum, & materiam suppeditandam abundè sufficientibus, ubi temperies aeris per quàm læta, & commoda, in uoluptatum intemperantia malè audiret, herbosi saltus, amænæ valles, aquarum affluens tellus, Ver vbi perpetuum atque alienis mensibus Aestas. Solo semper tepido, nunquam colono repugnanti, ubi greges, & armenta, & altilia quæque opimè proueniunt, vbi auium aucupia & ferarum uenationes, accommodatissimè. Sed multò hominum præstantiora ingenia semper progenuit, quàm reliquus Orbis Terrarum. Gentium enim in toto Orbe præstantissima, haud dubiè, Romana extitit. Omitto generis nobilitatem, à Troianis usque prius, deinde ab Albanis Regibus, deductam. Quæ nam patria (vt uerum fateamur) post natos homines, tot genuit præclarissimos in omni uirtuti uiros? Curios, Fabritios, Camillos, Catones, Scipiones, Decios, Marcellos, atque alios, quos longùm esset, recensere. Regibus certè maximis, præstantiores, quoniam Regibus imperant, vnde non immeritò, Cyneas Pyrrhi Regis Legatus, fassus est; tot se Reges uidisse, quot ciues. Tradunt Corneliam Scipionis filiam, post mortem Grachi, cum ab Ptolomæo Aegyptiorum Rege, in uxorem peteretur, quòd nuptias suas minimè mereri uideretur, respuisse. Præterea omnia Regna in toto Orbe, præter Ro. Imperium, aut breuiter durauerunt, aut modica, aut fabulosa fuerunt, unum tantùm dictum Imperium, & illud Romanum, quod Romæ usurpatum, primùm sub Cæsare dictatore, ac diuturnum locupletissimo etiam Maronis testimonio, cum inquit.

Nullum enim ab exordio fermè minus, neque incrementis toto Orbe amplius, ab Romulo Rheæ virginis Veſtalis, & Martis filio exordium habuit. Nullaq; Reſpub. maior, nec ſanctior, nec bonis moribus ditior: Qui omnium genere mirificorum exemplorum totum Orbem repleuit, militarisquè diſciplinę, & ſeueritatis, & uirtutum omnium ſpecimen. Nul los homines benignius inter ſe uiuere, quàm Romanos, nullum Regem Romanis parem, nihil eſſe, quod hominum manu, & opibus Ro. Imperii effici non poſſet. Satis conſtat origini Romanæ, & Deos adfuiſſe, & non defuturam uirtutem. Nullum verò Regnum tam repentè auctum, quàm Alexandri Magni, qui prius ſibi uiſus eſt comparare Imperium, quàm regnaſſe, quia dedit leges, nulla conſtituit militibus ſtipendia, ſed tantum per Regiones diſcurrit, nec regnum ſtabiliuit, dicere ſolitus, longè præſtantius literis antecedere, quàm Impe rio, ac magis amari, quàm timeri Cęſar autem contra. Oderint dum metuant.

Popu-

POpulus R. gentium princeps ob magnitudinem rerum gestarum, & imperandi diuturnitatem cæteros Principatus antecelluit, terra, mariq; imperium terminauit quo nihil in orbe celebriùs, nihil ipsa vrbe nobilius, vbi tot præclara ingenia, tot præstantißimi Duces, tam strenui milites, tam præclaræ res gestæ. Nusquam tanta ædificandi facultas, nusquam tot regia ædificia, tot loca Sacra, Templa, Basilicæ, Sacellæ, tot fora, tot Aquæductus, Circi, Theatra, Lacus, tot Thermarum insana ædificia, tot operosi supra Tyberim pontes, tot antiquitatum uestigia, tot ludorum genera, tantus mortalium concursus, & populi frequentia, nusquā tot opes, tot delitiæ, & rerum omnium, quæ vbiq; procreantur, abundantia, & immoderati ad magnificentiam sumptus. Spectaculorum omnis generis decor, & ludorum numerus infinitus. Interrogatus quidam Sapiens, quid de urbe sentiret, respondisse fertur, Microcosmum, id est, paruum esse mundum. Libanius Græcus homo Romam, inquit, non urbem, sed quasi quandam cæli partem appellatam. Quam Seneca non inscitè per ætates hominum distinxit. Aurea ætas Po. Ro. sic fuit dicta, quòd posterioribus sæculis comparata æquè, atq; aurum inter metalla effulsit. Cæterum, cùm latè pateat Imp. Ro. nihil admiratione magis dignum, quàm regnandi diuturnitas. Nullum regnum tam repentinum, nulla Respub. tam ingens, nullum Imperium tam amplum, nulla Monarchia tam potens, nullus tam perennis victor (nam uetus prouerbium est) Romanus sedendo uincit. Non satis existimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere, glorioſum erat, mandi etiam saluberrimum. Claruit supra omnia bonis artibus: Quibus semper fortißimi, victoresq; Romani extiterunt, vt plerique Populi, sine ui aliqua armorum, sua sponte illis se subijcerent: Omitto publicas diuitias. Quis enim M. Crassi opes, quis potentiam Pompeij, liberalitatemq; Iulij Cæs. enarrare potest? Quis Romanorum præclarißima à condita Vrbe gesta? Nec reticebo in hoc loco, postremùm illum, cum Hannibale, congressum, non fuisse, à condito Orbe, diem magis memorabilem, quàm ille, cum duo antea, & postea Ducum maximi Scipio, & Hannibal, quo cedente, sequutus est

Africam terrarum Orbis. Meruerunt & ſuas Statuas, & titulos: etiam mulieres, vt Clælia, & Q. Claudia Veſtalis. Pueri etiam tam caſtigatæ diſciplinæ erant, vt omnis uita plena eſſet miræ grauitatis, & modeſtiæ, inter puerilia rudimenta, & Romanæ iuuentutis peculiare fuit haſtilia iaculari, Sudes torquere, equum agitare, arma tractare, bonas artes tallere, tantaq; Romanæ uerecundiæ obſeruatio, & morum exempla fuere, ut nec pater cum filio, nec ſocer cum genero lauaret, nudoſq; parentes inſpicere nefas erat, abſtinueruntq; à colloquijs, & omni turpi, ac fœdo corporis geſtu, coram filijs parentes. Vnde ſi quid in toto Orbe rectum, iuſtum, ac memorabile, apud Romanos geſtum eſt ſolos. Quid præterea hiſtoriæ, quid Annales, quid poetæ loquuntur, niſi Vrbis Romæ laudes, ac geſta? quæ ſemper habuit laudum præcones, nulla iucundior, nulla frequentior in manibus lectio, eademq; ſæpius repetita, magis, atque magis ſemper placet, ac delectat. Quis eius ornamenta & delicias ad plenum narrare poteſt? quas, qui ſemel deguſtauerit diuelli inde haud facilè ſine contumacia poterit. Semper enim Romanum nomen à primis incunabulis, & auſpicatiſſimis fundamentis, apud omnes, & populos, & nationes clariſſimum extitit. Quin etiã Itali, quorum caput Roma eſt, nobilitate præſtant, & Regali quadam magnificentia magni ſunt, & ſplendore quodam nitentes. Nam quicquid intra Italiam eſt (vt tradit Quintilianus) Romanum eſt. Extãt adhuc Romanorum monumenta, per totum Orbẽ, & Coloniæ ſine numero, ubiq; locorum Pontes, Portus, Turres, Metæ, Arces, & cætera id genus. Non eſt à condito Orbe, nec futura urbs tam clara, qualis Roma, totius mundi caput, & Regia, nec animi magnitudine, tam excellens populus, quàm Romullum Regem, aut gentem parem habens. Quæ vrbs licet toties cædibus afflicta, & cultoribus priuata, ſemper ualidior, potentiorq; ſurrexit. Nulla enim, deficientibus colonis, tam repentè confluentibus, undiq; mortalibus, Colonia deducitur, ac noua inſtauratur. Et omnia intra Pomærium, atq; mœnia eius frequentiſſimè habitata, & exculta. Nuſquam minus Roma cognoſcitur, quàm Ramæ. Quæq; viſuntur donaria, artes & ornamẽta, omnia Romanæ gloriæ ſunt, tanquàm ſuburbani ornatus, referta. Præterea maritima loca, tum Mediterra-

diterraneæ regiones urbis, partim auctis ab ipsis Romanis, omnia plena sunt Gymnasijs, fontibus, uestibulis, Templis, ædificijs, magistris. Liceat; haùd inscitè dicere, quasi effectum iam Orbem suas deniq; resumpsisse munditias, atq; ornamenta omnia splendore, & gratia reuident. Cum uniuersa terra, quasi Pomarium quoddam culta, atq; ornata uisitur, Spectaculorum omnis generis decor, & Ludorum numerus infinitus, si quis mœnium ambitum colligat, ex ueterum traditione xx. millibus, aut paulò plus colliget, ut supra dictum est: In quibus præsides urbes instructæ, aliæ alijs in locis habitatoribus ministris instructæ, atq; alijs rebus ornatæ, quæ quasi præsides urbes quasi fossa claustra concludunt: Quid enim urbe Roma excellentius? cuius optimis exemplis gloriari liceat, disciplina militaris acriùs retenta, Principatum Italiæ, Romæ Imperium peperit & multarum urbium, magnorum Regum, & ualidissimarum gentium regimen, largita est, Alpium, Tauriq; montis conuulsa claustra tradidit, Ortumq; parua Romuli casa, totius terrarum Orbis fecit columen. Ex quibus summi omnes Triumphi emanarunt, Regnauerunt prius in urbe Reges septem, post eos eiectos, Bruto authore, urbs libertate potita est. Quam sub Imperatoribus iterum amisit, atque iterum in compedes coniecta est.

Augustus Cæs. bis cogitauit eam restituere, sed timuit ne aliquis post ipsum iterum occuparet. Cogitauit & L. Septimus, cogitauit & Decius, qui multos habuisset laudatores, si à Christianorum cruciatibus se temperasset, unde ex miraculo cùm in quadam palude submergeretur, nusquam eius cadauer postea inuentum est. Sub Probo autem Imp. omnia fuerunt quieta, & tranquilla, cuius Imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, omneq; Orbis partes in totam securitatem redactæ sunt. Vnde uerè Probus appellatus; ex quo disciplinam militarem multi didicere, ut scribit Vopiscus. Habet nunc Roma, quòd sua sponte gentes, & nationes, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectæ sunt, non ut olim, armis coactæ (nam ut olim armis) nunc religione. Religio enim facit homines inter se concordes & unanimes, & nationum quantumuis efferas, & Barbaras, mitiores. Nam diuersa linguarum & numinum cultura, hominem

alienat ab homine: Idcirco facilius sibi animalia muta, quàm homines congregantur: Retinet adhuc Roma quandam priscæ maiestatis umbram, vt gentes ex toto Orbe, tanquam membra ad caput recurrant. Habet præterea mansuetissimi Christi Imperium, & eius Vicarium Pont. Max. præcipuam in toto Orbe dignitatem, per successionem relictam à piscatore idiota, & inermi, qui superatis verbo, & exemplo regibus, extinctisq; gentium simulachris Imperium Orbis occupauit. Habetq; Senatum Apostolicum, & Sacrosanctos Cardinales, & Clerum: Vbi Arx, & Domicilium Christianæ religionis, & eius Reipub. caput, ubi sedes Apostolica, & Curia Romana omnium præstantissima. Nusquam tanta ædificiorum laxitas, tanta rerum pompa, tot loca Sacra, tam solida peccatorum uenia, & tot Indulgentiæ, tot Martyrum triumphi. Quorum cruore aspersa, consecrata omnia habentur, sub Christo Principe totus mundus patefactus est. Nam arma populi Romani antea peruenerunt usq; ad Oceanum, Occiduum, Septentrionalem, & Meridianum, ab Oriente autem non peruenerunt usq; ad Indos. Sed de regionibus Orbis, de quibus nulla apud ueteres fuerat notitia, Mercatores, & negociatores, fecerunt nos certiores, sed fides Christi omnia latius patefacit.

FINIS.

Bibl. Jag.



VENETIIS. MDXCIX.

APVD PETRVM BERTELLIVM BIBLIOPOLAM PATAVINVM.

Una bella donna e paradiso, locchio inferno, labrina
e purgatorio, la borsa. &c.

Indian virtuous man in this world, no regard
unto his conscience nor honesty.

Cum scamno iungatur, ist als da zugang und gaw
dass ein dass stuck [illegible] Gar Hungarn und
Cum scamno Alt ist etwas augen Dach Hasard &
Dass stuck mal ein stollen Hagstainer dass [illegible]

BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE